THESIS
HISTORICO-THEOLOGICA
LOVANIENSIUM CUM THOMISTIS
CONCORDIAM
CIRCA
NECESSITATEM GRATIÆ
PER SE EFFICACIS
IN
STATU NATURÆ LAPSÆ
LUCULENTE DEMONSTRANS

QUAM PRÆSIDE
EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO
JOANNE LIBERTO HENNEBEL
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE
DEFENDET
FRANCISCUS CACHAR VISETENSIS.
IN COLLEGIO BAY DIE XII. MAII 1684.



LOVANII,
Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.

§. 1.

Vndè eruenda Theologorum Lovaniensium doctrina de Gratia per se efficaci necessaria homini lapso ?



Omnibus constat superioris sæculi anno 1587. contra unum & triginta articulos anno 1586. traditos in Scholis Patrum Societatis JESU, Lovanii conscriptam ab hac Facultate fuisse censuram seu judicium Scholasticum, ac paulò post emanasse ejusdem Censuræ justificationem seu defensionem omnium ejusdem Facultatis concordi judicio probatam, ac Illust. Rev. Dno. Apostolico Nuntio Calatino Episcopo exhiberi jussam, in qua doctrinam suam de gratia per se efficaci contrà Lessium ejusque Collegas & Discipulos apertissimè profitetur. Tres Doctores, qui censuram ejusque justificationem superiori sæculo probaverant, adhuc supererant anno hujus sæculi 13. quo tota Facultas sparsis per Hispaniam, Italiam aliasque partes obviatura rumoribus coacta fuit edere solemne Decretum, per quod, nullo Magistrorum ipsius contradicente "uniformiter declaravit & testata est, se semper „ tenuisse & nunc de præsenti tenere, semper perstitisse & nunc de præsenti persistere in „ sua antiqua sententia, quam in dicta Censura tenuit & ibi declaravit, nec unquam ab illa „ sententia discessisse, nec in posterum, Deo favente, discessuram donec per summum Pon„ tificem aliud diffiniatur, aut à S. Rom. Ecclesia (cujus censuræ & correctioni omnia in „ prædicta censura contenta, & quælibet alia à se dicta & in posterum dicenda humiliter „ subjicit) aliud tenere ei præcipiatur. „

Facultas Theologica Duacensis quæ superiori sæculo censuram ediderat Lovaniensi gemellam, gemellam quoque declarationem edere debuit anno hujus sæculi 48. eo quod " sparsum esset Tholosæ & alibi, eam in materia de auxiliis, prædestinatione, scientia Dei, „ & gratia Christi mutasse sententiam, & ab antiqua, quam in sua censura anni 1588. quon„ dam tenuit, retrocessisse: insuper illam censuram solum ab aliquibus professoribus male „ affectis Societati, aliis obnitentibus, editam fuisse, nec non auctores dictæ censuræ coactos „ fuisse eam retractare, summumque Pontificem eam damnavisse. Volens itaque huic sparso „ rumori obviare & veritatem omni volenti scire manifestare, congregata pariter in schola „ publica die 10. mensis Julii 1648. nullo Magistrorum ipsius contradicente, tota Facultas „ uniformiter declaravit & testata est, hæc esse falsissima; ultra, se semper tenuisse, & nunc „ de præsenti tenere, semper perstitisse & nunc de præsenti persistere in sua antiqua sen„ tentia, quam in dicta Censura tenuit & ibi declaravit, nec unquam ab illa sententia dis„ cessisse nec in posterum, Deo favente, discessuram &c. „

Eodem anno 21. Decembris, datis ad Facultatem Sacram Duacensem litteris, hanc apertam ejus declarationem laudavit Facultas Theologica Lovaniensis his verbis: " Multum nos ex„ hilaravit evulgatum nuper sub nomine vestro manifestum antiquo nostro manifesto gemel„ lum, quo adversus calumniantium susurros Orbi Catholico notum fecistis, Facultatem „ vestram unanimi consensu in veteri suæ Censuræ doctrina, quæ & nostra est, constanter „ persistere. „ Cum vero non cessarent Adversarii perpetuo sugillare doctrinam ejusdem Facultatis, solemniorem iterum edere debuit professionem fidei & doctrinæ; quam sub tenore sequenti promulgavit anno 1640. " Nos Sacræ Facultatis Lovaniensis Doctores toti Orbi „ Christiano testatum facimus, nos Sacras Scripturas, Concilia, & SS. Patres eo sensu & „ modo recipere ac interpretari, quo S. Catholica & Romana recipit & interpretatur Eccle„ sia, quam veritatis Magistram esse agnoscimus.

„ Signanter verò Bullam Pii V, amplectimur & observamus. Inter Sanctos autem, more

,, majorum nostrorum S. Augustinum (præsertim in materia gratiæ Dei & humanæ libertatis ,, contra Pelagianos & Semipelagianos) Dei præeunte lumine & Ecclesiæ Romanæ ductu ,, exacte sequi, nec latum unguem à vestigiis ejus deflectere unice studemus.

,, Belgicarum quoque Universitatum Lovaniensis & Duacensis à sexaginta jam circiter ,, annis Censuras adversus P. Leonardum Lessium & P. Joannem Deckerium aliosque Societatis Sacræ Theologiæ Lovanii & Duaci Professores: denique quidquid postea Clemens VIII. & Paulus V. in celebri disputatione Romana contra Ludovicum Molinam & ,, Sectatores ejus censuerunt, exosculamur & Dei gratiâ firmiter retinere conamur.

,, Quicumque de nobis aliter, pro mendacibus & calumniatoribus habemus, & si opus est, ,, tales esse publicè in judicio contradictorio sustinebimus. ,,

Tum præcipuè opus fuit ab Adversariorum se vindicare calumniis, dum promulgatis Innoc. X. & Alexand. VII. Constitutionibus liberâ dominari videbantur arenâ. Neque tamen vel tunc cessavit hæc Facultas, quâ potuit meliori viâ, eorum se conatibus opponere. Hinc iterum datis ad Alexand. VII. litteris sua sensa sic apertissimè exposuit anno 1660. 20. Martii: " Ut magis sinceritas nostra pateat, doctrinam de Gratia & Prædestinatione, ,, quam tradimus, & à majoribus accepimus, quam & illi olim ad Sixtum V. Prædecessorem ,, S. V. transmiserunt, vestræ quoque Sanctitati (si ita visum fuerit) illicò transmittere, ,, ejusdemque subsecuturo judicio per omnia nos conformare promptissimis animis pollicemur. ,, Adeò Pontifici certum fuit sanam & orthodoxam esse traditam à majoribus nostris doctrinam, ut neque ullâ eam Censurâ notare, neque vel illius libelli examen voluerit instituere, quia, ut rescribere dignatur 7. Aug ejusdem anni, " Non dubitamus, quin vos ,, pro singulari scientiæ pietatisque studio sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ ,, Sedis Declarationes & SS. Patrum Traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, ,, & adversus Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ DD. Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata ,, sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis. ,, Quam gratum & acceptum Facultati Theologicæ Lovaniensi fuerit hoc Apostolicum breve constat ex responso Facultatis dato ,, die 10. Septembris ejusdem anni his verbis: "Quantum inde nobis gaudii in Domino, quis ,, Facultati nostræ, quis studiis Theologicis honor & calcar accesserit neque effari neque scribere possumus, tantum abest ut gratiis agendis pares simus. Has nihilominus agimus provoluti quotquot sumus ad pedes T. S. quam (dum nobis præscribit, ut præclarissimorum ,, Ecclesiæ DD. Aug. & Tho Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata semper sequamur ,, & impensè revereamur) uti antiquæ & celeberrimæ doctrinæ conservatorem veneramur. ,, O quantus esset in Ecclesia Catholica unitatis & sanctitatis splendor, si in Cathedris Theologorum & subselliis omnes cum his SS. Doctoribus unum saperent, unum loquerentur, illudque per Discipulos suos in fidelem populum derivarent! sperandi planè forent alii mores, ubi hâc salutari doctrinâ passim fidelium cœtus imbueretur. Hinc pro ea tuenda majores ,, nostri sæculo superiori plurimum desudarunt adversus eos, qui non satis his SS. Doctoribus ,, deferunt. Nos adversus eosdem eadem ex causa jam annos viginti concertationem sustinemus Non autem (coram Deo loquimur) ut privati cujusquam sensa tueremur. Securè ,, nobis pollicebamur, quod sive seriùs sive ocyùs (quis enim divinæ providentiæ legem ,, statuit?) pro tuenda auctoritate SS Augustini & Thomæ laborantibus aliquando opem ,, ferret suprema Sedis Apostolicæ auctoritas ,, Certissimè ab eo tempore credidit hæc Facultas licitum sibi esse propugnatam à Majoribus suis de Gratia efficaci doctrinam tueri, reclamantibus licet Molinæ Lessiique Discipulis, quorum importunis clamoribus ac frequentibus querelis iterum excitata & coacta tres è suo gremio Romam deputavit anno 1677. qui eandem rursus doctrinam Sedis Apostolicæ judicio subjecerunt, oblato Sanctitati suæ libello, in quo continentur hæc pauca causam præsentem spectantia: " Porrò eadem ,, Facultas (Lovaniensis) ab Eugenii IV. Pontificis sui erectoris tempore circà dogmaticas ,, de divinæ gratiæ Decretis atque auxiliis quæstiones semper sequi studuit S. Augustinum ,, frequenter laudatum ac probatum à Romana Ecclesia. Credidit ipsum integrum custodem Apostolici depositi. Nihilominus sanctissima ejus doctrina à quibusdam lapsæ volun-

,, tatis

,, tatis nostræ vulnera non sat considerantibus passa est frequentes contradictiones, ideoque ,, & sub præteriti sæculi finem quibusdam displicuit. Hinc nostram Theologicam tunc Facultatem & Lovanii & Duaci regentes emiserunt scholasticum judicium, quo plures istius ,, materiæ articulos improbarunt, & sua sensa exposuerunt, & fuerunt compulsi subjungere ,, brevem istius sui judicii justificationem. Hæc omnia sancta nobis videntur & firma, semperque placuerunt, ac proinde censemus ab ipsis non recedendum. Ne tamen uti homines ,, deviemus, illa exhibemus Sanctitati vestræ opportunè discutienda, &c. ,,

Ex his certissimè sequitur; firmiter Facultati Theologicæ Lovaniensi esse propositum inhærere doctrinæ majorum suorum; prout tam apertè tam uniformiter toties id declaravit, ac etiamnum quotidie declarat in Thesibus & Disputationibus publicis.

§. 2.

Doctrina Facultatis de Gratia per se efficaci exponitur verbis ipsis Censuræ, & ejus justificationis.

INter assertiones Patrum Societatis, quæ displicuerunt huic Facultati, decima erat hæc: " Augustinus ubicumque dicit nos non tantum gratiâ egere quâ possimus, sed etiam quâ ,, faciamus, intelligendus est de supradicto concomitante concursu, quod scilicet non possi- ,, mus facere sine auxilio gratiæ concomitantis, alioquin dictum ejus non esset universaliter ,, verum. Nam ut faciamus non requiritur efficax excitatio, quæ voluntatem infallibiliter ,, determinet, qualis fortè fuit in Paulo, Magdalena, aliisque nonnullis dum converteren- ,, tur, sed sufficit multò minor, quæ plenissimam relinquat libertatem.

C E N S U R A.

,, RIdiculum est B. Augustinum de hoc naturali, seu ut ipsi appellant supernaturali con- ,, comitante auxilio interpretari velle, quo præstetur dumtaxat nobis posse si velimus, ,, aut etiam velle si voluerimus, non autem prævenicndo nos operetur ut velimus & facia- ,, mus. Quasi in hac nostra infirmitate non universaliter tam efficacem Dei gratiam postulet ,, Augustinus, quæ humanam voluntatem infallibiliter determinet, quæque præponenda ut ,, Domina sit, non autem libero arbitrio subjicienda quasi pedissequa & subserviens si velit. ,, Plana quippè est ejus doctrina lib. de corrept. & grat. ubi talem gratiam non paucis qui- ,, busdam sanctis, ut Paulo, Magdalenæ, similibusque propriam, sed omnibus omninò ,, sanctis ad pie vivendum facit necessariam, ut isto scilicet modo humanæ voluntatis infir- ,, mitati, qua omnes laborant, subveniretur, eamque à primi hominis gratia accuratè ,, distinguens non solum ei tribuit posse si velimus, sed facere etiam ut velimus,, Simil a plura reperiuntur ad Censuram assert. 1.9. 1.12. & 15. tam Lovaniensem quam Duacensem.

Eandem suam doctrinam clarissimè explicant, ac omnes Adversariorum machinas evertunt cap. 11. justificationis, quod totum hic habemus pro expresso. Pauca tamen hic delibabo in quibus doctrinam suam evidentius exprimere videntur En eorum verba pag. 19 n. 139 " Putamus homini Catholico statim displicere debere ejusmodi sermonem, quo dicitur ,, efficax præoperatio Dei libertatem actionis auferre; cùm in eo quod Apostolus dicit, ,, Deum operari in nobis velle & perficere, planè efficax ejus operatio intelligenda sit, non ,, ea quâ volentem suo concursu comitatur, quod & incorruptis hominibus fuit necessarium, ,, sed ea quæ prævenit ac præoperatur ut velit, sic omninò ut eam gratiam non habeat nisi ,, qui velit. Declarat hoc Augustini locus: Certum est, inquit, nos velle cùm volumus, ,, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod præparatur voluntas à Domino. ,, De quo dictum est: à Domino gressus hominis dirigentur. De quo dictum est: qui operatur in nobis velle & perficere; aliasque non raro. Et hunc Apostoli locum & gratiam ,, Christi, quæ præstat efficaciter ut velimus, de præoperante gratia explicat, non de illo

con-

,,concomitante concursu, quem non ignorabat ad primam naturæ institutionem, creationis-
,, que beneficium, non ad Christi gratiam propriè pertinere.,, Hinc concludimus juxta Majores nostros efficacis gratiæ naturam consistere in gratuita & benigna Dei præoperatione qua propriè in libero hominis arbitrio operatur ipsam conversionem, seu alium quemcumque actum veræ pietatis juxta illud Bernardi in Censura Duacensi ad assert. 8. " Quod à
,, gratia sola cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mistim non sigillatim, simul non
,, vicissim per singulos profectus operetur, non partim gratia partim liberum arbitrium, sed
,, totum singula opere individuo peragant; totum quidem hoc, & totum illa, sed totum in
,, illo, & totum ex illa.,, Operatur ergò gratia ipsum voluntatis motum efficienter attingendo, hoc est voluntatem ipsam explicando & determinando ad volendum & eligendum, (non ergo tantum infundendo delectationem quandam omnino indeliberatam) ita ut fieri non possit, quin gratia ista habeat suum effectum, quoniam fieri nequit, ut Deus voluntatem determinet, & non ipsa voluntas determinetur; dilectionem voluntati inspiret, & non ipsa voluntas diligat. " Si quis enim sufficienter afficitur ad prædicatum sibi Dei Verbum,, inquiunt Majores pag. 179. num. 124. justif. Censuræ " & errorem contrarium sufficienter
,, aversatur, jam vult credere, eamque affectionem ipse sibi sentit ad conversionem sufficere:
,, si autem nondum vult credere & adhuc fidem aversatur, nondum etiam habet sufficientem
,, affectionem ad ea, quæ sunt propositæ sibi Religionis. Unde colligitur sufficientem præ-
,, parationem nunquam esse à credendi aut benefaciendi voluntate disjunctam. Si enim
,, affectio bona, præparatio est, ergo sufficiens affectio sufficiens erit præparatio. Atqui
,, probari non poterit ille ad credendum verbo Dei sufficienter affectus, qui prædicationem
,, ejus respuere perrexerit, ipsaque sufficiens ad credendum affectio jam fides est, & suffi-
,, cienter ad conversionem affectus intelligi nequit non esse conversus.

Explicare non potuerunt clarius efficacis gratiæ energiam, quàm hodie tuetur schola Theologica Lovaniensis, & quam irritis conatibus oppugnant ejus Adversarii.

§. 3.

Quid de Censura Lovaniensi, & ejus de justificatione censent Thomistæ?

JUstificationem Censuræ Lovaniensis à duodecim Sacræ Theologiæ Magistris unanimiter fuisse probatam acta nostra testantur. Erat autem inter hos duodecim Magistros tertius P. Petrus Bacherius Ord. PP. Prædicatorum, quem in principibus ætatis suæ Theologis numeratum refert in suis elogiis Belgicis Aubertus Miræus, ut meritò hæc justificatio non tantum Thomistas approbatores, sed etiam auctorem habere dicenda sit. Eandem confirmavit Thomas Torres, ut vel ob hanc causam dici possit de Universitate optimè meritus, eamque in arduis & gravioribus negotiis contra suos æmulos non semel & sedulò juvisse; quod illi elogium pangunt fasti nostri Academici. Ille enim, ille est qui ad Facultatem retulit rumores illos, qui per Hispaniam Italiamque spargebantur, eique persuasit edere declarationem, quâ profiteretur se persistere in antiqua sententia, quam in Censura Summo Pontifici Romam transmissa quondam tenuit. Edita fuit illa declaratio anno 1613. ut supra diximus, auctorem habens ipsum Torres, cui id Facultas commiserat, cum esset pro tempore Decanus. In justif pag. 271. commendantur, "Dominici Bannesii in Beatum Thomam com-
,, mentarii qui singulari Dei providentia opportunissimè pridiè quam Illust. Reverendissi-
,, musque Apostolicus Nuntius accederet Lovanium perlati fuere. Nulla hic ferè, in-
,, quiunt Majores nostri, assertio, aut doctrinæ pars est, quam non ille ex professo oppugnet,
,, nihil veritus quoque ad Pelagii eam rejicere hæresim, quasi digito etiam novitiæ hujus
,, doctrinæ notatis auctoribus.

Thomas Lemos Tom. 1. part. 2. tract. 3. cap. 5. pag. 102. col. 2. Censuram Lovaniensem & Duacensem ejusque cum Parisiensi & Salmanticensi concordiam præclare commendat his verbis: " Divinas prædefinitiones, & his & præteritis temporibus Academiæ insignes
,, de-

„ defensârunt, Parisiensis antiquissima, Lovaniensis florentissima, cum alia nobilissima „ Duacensi, atque sapientissima Salamantina. Hæ tres quidem posteriores in suis doctissi- „ mis Censuris, quas in hac materia, durante hæc controversia, ediderunt, quibus efficaciam „ Dei prævenientis gratiæ, & divinæ voluntatis prævenientis omne nostrum bonum opus, „ salvâ perfectâ nostrâ libertate, ediderunt, & oppositam sententiam contendentium auferri „ vel impediri libertatem ex Dei efficaci voluntate prævenienti confuderunt........ De Pari- „ siensi autem infra referentur Censuræ, quibus non semel divinæ voluntatis efficacem præ- „ definitionem retinuit & illam impugnantes sicut libertatis nostræ impeditivam compescuit. „ Omnes igitur quatuor in orbe florentissimæ Academiæ pro efficace Dei præveniente vo- „ luntate testimonium ferunt, & divinæ voluntatis prædefinitiones contra illarum adver- „ sarios tuentur & venerantur.

En Academiarum florentissimarum concordiam in puncto, de quo quæstio, à Thomista- rum Principe tam apertè declaratam, ut nihil illi videatur addendum præter id quod idem ejusdem part. tract. 5. cap. 35. pag. 287. col. 2. iterum urgens Academiarum concor- diam contra scientiam mediam, "Damnant illam, inquit, Academiæ florentissimæ, quæ ex „ professo causam istam examinarunt, Lovaniensis enim gravissima & fundatissima in SS. „ Patribus Schola scientiam istam sicut Semipelagianorum fundamentum damnat in quadam „ doctissima Censura satis omnibus nota, & in alia quàm prioris justificationem prænotavit, „ in quibus totam horum sententiam cum hac media scientia totius illius fundamento pariter „ damnat. „ Ejusdem Censuræ tam Lovaniensis, quam Duacensis causam suscepit universi- tas Tolosana, ut constat ex litteris datis anno 1648. tam ad hanc Facultatem quam Duacen- sem, in cujus gratiam editum est à Duacensi Manifestum, cujus suprà meminimus. Sunt & in promptu testimonia quibus Alvarez, Vincentius Baronius, ac alii Thomistæ ex utraque Academia Belgica usque hodie superstites hanc concordiam probant, adeo ut certum sit, non tantum addictissimas D. Thomæ Academias, sed etiam Thomistarum Principes tam sollicitè pro tuenda Scholæ Lovaniensis unione cum Thomistica laborare, quam laborent Molinistæ, ut hanc unionem possint tollere.

§. 4.

Quid huic Censuræ Molinistæ objicere soleant?

CUm anno 1648. mota fuisset in Universitate Tholosana circa Censuram hanc controversia, de qua suprà, exposuit eadem Universitas datis ad hanc Facultatem litteris, quod Jesuitæ dicerent "Censuram illam non à tota Facultate Theologiæ sed à privatis quibusdam Docto- „ ribus sibi infensis, & propter Michaelis Bay condemnationem odio percitis emanasse atque „ illam ipsam nedum Decreto Nuntii Apostolici, verum etiam diplomate Pontificio fuisse „ recisam. Econtra verò, inquiunt, S. Theol. Professores (Universitatis Tholosanæ) asserunt rem aliter se habuisse. „ Veteres sunt Querelæ ex imagine primi sæculi lib. 6. cap. 4. desumptæ.

Non à privatis quibusdam Doctoribus emanasse censuram luculentè constat ex subscriptione justificationis, ubi testatur Decanus eam omnium ejusdem Facultatis Doctorum concordi judicio fuisse probatam. Ordinasse equidem videtur divina providentia, ut circa illam ipsam subscriptionem moveretur difficultas quædam, ne posteris posset subesse dubium, quin con- cors universæ Facultatis hæc fuerit sententia. "Volebat Apostolicus Nuntius aliam subscri- „ ptionem dari abhorrentem à consuetudine & veteri more nostræ Facultatis, inquiunt acta, „ nempe ut solus Bedellus subscriberet duorum testium junctione factâ, & expressis singu- „ lorum Magistrorum nominibus, qui eam se justificationem coram dictis testibus probare „ profiterentur. Verum Facultas eam ob causam sub juramento vocata judicabat insistendum „ esse priori subscriptioni, quam se concorditer omnes probare declarabant. Agendum quo- „ que esse apud Illustr. Nuntium, ut eâ subscriptione dignaretur esse contentus. Id quod eo „ ipso die ab eo impetraverunt Decanus, Gravius, & Lensæus. Hoc unum ille requirebat, „ ut in ipsa Facultate exhibitio coram Jacobo Perano suo abbreviatore ratifaceretur, & „ quantum opus esset ab omnibus repeteretur, Quamobrem ejusdem diei tertiâ horâ pome-

„ ri-

„ ridianâ, Facultate iterum sub juramento vocatâ, cum omnes adessent præsentes in loco „ minoris Capituli S. Petri Lovaniensis, omnium etiam una vox eademque sententia fuit de „ ratificanda & repetenda, si opus esset, exhibitione semel facta. Tum ingredi jussus est Petanus abbreviator cum Bedello & testibus duobus, coram quibus repetita est ab omnibus „ Magistris dictæ Justificationis exhibitio.„ Ergo indubitatum est universæ Facultati & Censuram & ejus justificationem fuisse probatam. Nec minus certum est, causam huic Censuræ non præbuisse odium in Societatem contractum propter Michaelis Baii condemnationem à Francisco Toleto Lovanii promulgatam; primò quidem, quia constat antè Censuram Pii V. & Greg. XIII. concordem Lovaniensis Scholæ fuisse sententiam de prædestinatione & gratia Articulis Lessii anno 1587. reprobatis directè oppositam: Testatur enim Estius in oratione anno 1609. habita Duaci, quod ab anno 1561. usque ad annum 1582. quo has Scholas trivit partim ut discipulus, partim ut Licentiatus aut Magister, quique sententias & Doctrinam Professorum illius temporis probè cognitam se habuisse declarat, eo loco tunc habita fuisse dogmata Lessii & Deckerii, ut si quis ea publicè vel docendo proponeret, vel disputando defenderet, non parum offenderet. " Quamvis, inquit, præter Cunetum vix „ aliquem novi qui id tentarit, etsi per id tempus, quod nominavi, habuerit ea Schola Do„ ctissimos Professores.„ Offendebantur proindè Doctores Academici dogmatibus illis antequam Censura prodiret. Constat item ex fastis Academicis pag. 370. non habuisse Facultatem Theologicam, quod de Toleto conquereretur.

Evidens quoque est ex præfatione Censuræ Lovaniensis, Robertum Bellarminum qui anno 1570. Mense Octobri (id est, eo ferè tempore quo solemniter Bulla Pii V. Lovanii promulgata fuit) Theologiam docere cœpit, è Societatis Cathedra Lessio planè adversa atque contraria sensisse & publicè docuisse; Neque tamen privato in Baium affectu facilè quis eum abreptum fuisse suspicabitur, sed potius tradidisse doctrinam de prædestinatione, quam & Lovanii tradi videbat,& Patavii didicerat anno 1567. à Patre Carolo Pharaonis Theologo Societatis, qui non ex prævisis operibus eam repetebat, sed cum Augustino eam gratuitam esse existimabat, Teste Jacobo Fuligatto lib. 2. cap. 2. 1. in ejus vita.

Constat insuper Censuram Facultatis Duacensis omnino esse conformem Lovaniensi, ad quam tamen causa Baii nihil pertinebat.

Constat denique ex ipsa imagine primi sæculi "Mechliniensem ac CameracensemMetropo„ litas Synodum parasse Episcoporum,qua dogmata à duabus Facultatibus damnata discute„ rent, eademque toto proscriberent Belgio tanquam impias Massiliensium aut Pelagii reli„ quias, adeoque Societati notam inurerent hæreticæ pravitatis.„. An & de illis dici poterit quod propter Michaelis Baii condemnationem odio perciti causam hanc ferventer adeò prosecuti sint? Vix crederem hoc Adversariis nostris potuisse incidere, nisi viderem quod simili fere ratione eludere conati sunt Censuram,quam contra Molinam Academia Salamanticensis ediderat. " Data erat, inquit Lemos tom. 1. part 2. tract. 5. cap. 10. p. 288. jussu & de „ mandato supremi Senatus sanctæ ac generalis Inquisitionis in Hispaniæ regnis 22. die „ mensis Julii anno 1595. in qua & septem Doctissimi Theologi subscribunt & per novem „ Catholicas Propositiones ostendunt; quid de materia divinorum auxiliorum tenendum sit „ contra sententiam Ludovici Molinæ & PP. Societatis. Sed & priusquam concordia Molinæ „ prœlo esset mandata, Patres Societatis quasi ad ipsum disponentes eandem de concordia „ doctrinam in Salmanticensi Academia publicare cœperunt, quam illius insignis Universi„ tatis Professores non solum ex Dominicana familia, sed alii Magistri doctissimi illam no„ vam doctrinam tanquam erroneam & de Pelagianorum reliquiis derivatam ad sacros fidei „ Censores deferendam esse judicarunt. Unde & S. Inquisitionis Vallisoleti judex insignis „ Joannes Atetus Vir ingenio, litteris, & prudentia clarus Salmanticeam hujus rei inqui„ rendæ & examinandæ causa missus fuit. qui diligenti examinatione de assertionibus & „ assertoribus factâ, omnes Sacræ Theologiæ illius Universitatis Magistros in unum congre„ tos consuluit. Qui temeritatis & erroris notâ prædictam sententiam (de scientia media) „ dignam subscriptis propriis nominibus judicarunt. Et infra: Consulti Episcopi Hispaniæ, „ qui (ut notum est) & doctrina & religione sunt præstantissimi, & qui Molinæ novam concordiam

" cordiam hac media scientia fundatam attentius consideràrunt, pariter damnavere, & damnandam judicârunt.,, Quis hic tepererur, qui odio in Societatem percitus hanc tempestatem excitârit? Eam tribuit quidam Dominico Bannez. Sed estne credibile quod unicus Primarius Cathedræ Salmanticensis Professor omnes Salmanticenses Doctores, & Hispaniæ Episcopos pertraxerit in sententiam suam? Quid ni? si Baius Facultates Lovaniensem & Duacensem ac insuper omnes Belgii Episcopos sibi conciliare ac confæderare potuit, ut vel sic qualescumque ageret honoris sui vindicias?

Alia quædam majoris momenti refert ibidem Lemos, quæ Romæ gesta sunt coram Clemente VIII. quæ hic consultò prætermitto, quia si Baius Episcopos Belgii cum Facultatibus Lovaniensi & Duacensi, & Bannez Academiam Salmanticensem cum Episcopis Hispaniæ tam facile potuerint sibi devincire, jam mirum videri non debebit quod & Clementem VIII. & Consultores omnes, uno solo dempto, inescare potuerit P. Thomas Lemos.

Quod addebant Jesuitæ, juxta ea quæ suprà referuntur ab Universitate Tolosana, Censuras tam Lovaniensem quam Duacensem à Romano Pontifice fuisse recisas, falsissimum esse testata est Facultas Theologica Duacensis in Decreto anni 1648. de quo suprà.

§. 5.

An Molinistæ rectè accusent Lovanienses, quod in quibusdam punctis recedant à doctrina Majorum & Thomistarum in præsenti Controversia?

LOvaniensibus objiciunt Molinæ Discipuli, quod gratiam sufficientem, quam D Thomæ schola propugnat, admittere renuant, atqui hoc est capitale Thomistarum dogma, quo mediante sese facile eximunt à Censura quinque Propositionum, ergò

RESPONDEO

" Ut omnis æquivocatio (quæ semper, sed in hac potissimum materia & causa confusionem ,, parit) penitus auferatur, inquit Lemos lib. 4. part. 2 tract. 3. cap. 1. num 2. Variè accipi ,, solet auxilium sufficiens. Theologi enim, cum quibus disputamus (Molinistæ) auxilium ,, sufficiens illud appellant, quod ut venit à Deo sufficientiam tribuit, & possibilitatem ad ,, bene operandum præter quod ex parte Dei nullum aliud est necessarium, ut homo de facto ,, convertatur, pièque operetur. Ita quod illo posito, quando homo vult illo bene uti, illud ,, reddit efficax, & de facto convertitur; quando autem non vult, reddit inefficax, & non ,, convertitur. Hoc igitur sic explicatum nominant ii auctores auxilium sufficiens, quoties ,, in libris suis de auxilio sufficienti sermonem instituunt, nec aliquod aliud auxilium sufficiens recipiunt. Quod tamen non esse verum auxilium sufficiens, quod à Theologis recipitur & usurpatur, sed esse illud, quod contra veram Christi D. gratiam Julianus, Cassianus, Faustus & alii Massilienses introduxerunt, ut posse tantum supernaturale ex Deo ,, admitterent, ipsum verò operari non Deo, sed homini adscriberent, jam in superioribus ,, dictum est sufficienter, & in toto processu dicendorum efficaciter magis semper ostendetur. ,, Hac igitur acceptione auxilii sufficientis omnium primò de medio sublata (nec enim aliam ,, nos magis impugnamus) ad alias divertamus.

,, Solet secundo à gravissimis Doctoribus aliquando vocari auxilium sufficiens, præter ,, quod ex parte Dei nullum aliud requiritur, ut de facto homo convertatur; verumtamen tale ,, est, quod ut venit à Deo, & ex vi illius semper homo de facto per illud convertitur & piè ,, operatur, per quod opponitur primæ nunc relatæ sententiæ, quæ solum vult auxilium ut ,, à Deo venit, dare sufficientiam & possibilitatem, ita quod ejus efficacia & inefficacia ,, sit ab effectu. id est, à cooperatione arbitrii. Cæterum hæc secunda sententia totum contrarium statuit, illud vocando auxilium sufficiens, quod ex virtute sua, ut à Deo venit, ,, habet efficaciam, quâ de facto Deus hominem ad se trahit,, Hanc acceptionem etiam D. Th. fuisse probatam demonstrat ibidem variis testimoniis. Tum addit num. 10. " Juxta hanc

 "acceptio-

,, ptionem Doctores Lovanienses & Duacenses in suis doctissimis Centuriis, quas de hac ma-
,, teria tradiderunt, de quibus non semel in his nostris operibus mentio facta est, loquuntur
,, de auxilio sufficienti, cum dicunt; auxilium sufficiens esse illud, quod sine ullo alio
,, conversionem efficit; loquuntur enim de auxilio completo in ratione principii ad operan-
,, dum, & non impedito.,, Nec rationes omisit ob quas Lovanienses libentius ita loquan-
tur, quam eo modo, quem passim Thomistæ usurpant. "Aliqui ex Discipulis D. Thom.
,, in ista materia satis periti, inquit Cap. 2. arbitrantur minus congruè auxilium illud, quod
,, dividitur contra efficax, vocari sufficiens, sed appellandum vel auxilium generale in or-
,, dine gratiæ, vel communem vocationem, vel auxilium sine quo non potest homo operari
,, salutis opera; & cum quo bene operari potest si vult. Fundamentum illorum est, quia
,, istæ voces nunc relatæ & antiquiores sunt, & à SS. Patribus traditæ, & quæ multò me-
,, lius & sine inconvenienti auxilium illud contra efficax exponunt, quam vox sufficiens illi
,, auxilio applicata, quæ suas patitur difficultates. Cum potissimè S. Thomas auxilium
,, sufficiens accipiat pro efficaci.,, Sentiunt igitur auctores non dici illud auxilium compe-
,, tenter sufficiens, nec absolutè & simpliciter sic esse nominandum. En Lovaniensium de
gratia sufficiente sententiam à Thomistarum Principe clarissimè expositam. Videamus ergo
tantumne sit chaos inter Lovanienses & Thomistas, quale imperitis persuadere nituntur
Molinistæ. Sane meram esse de nomine quæstionem agnoscit ipse Lemos num. 15. & adeo
non abhorret à Lovaniensium phrasi, ut apertè dicat quod nisi ita communiter reciperetur
à Thomistis divisio auxilii in efficax & sufficiens, sibi valde placeret Lovaniensium vocibus
uti propter rationes relatas.

Quod ad rem ipsam attinet, certum est inter Thomistas & Lovanienses nullam esse discor-
diam. Quid enim est à parte rei gratia sufficiens Thomistarum? Hanc quæstionem decidit
Alvarez disp. 76. num. 5. "Gratia excitans, inquit, ut complectitur non solum illumi-
,, nationem externam & internam intellectûs, sed etiam motionem supernaturalem recep-
,, tam in voluntate idem est realiter quod gratia sufficiens, ita ut omnis gratia prædicto modo
,, excitans sit gratia sufficiens comparatione effectûs ad quem excitat; ut si excitet ad cre-
,, dendum, erit gratia sufficiens comparatione actûs fidei, & si excitet ad diligendum Deum
,, super omnia, erit gratia sufficiens respectu actûs dilectionis Dei.,, Rectè proinde hinc
intulit idem auctor disp. 71. num. 11. quòd " si de re ipsa loquamur, nullus Catholicus
,, potest dubitare de illa divisione (gratiæ in sufficientem & efficacem) cum gratia sufficiens
,, sit eadem cum excitante, & gratia efficax ab adjuvante realiter non distinguatur. Constat
,, autem partitionem gratiæ in excitantem & adjuvantem haberi ex sacris Litteris & Conci-
,, liis, præsertim ex Trid. & SS. Patribus; ergo quantum ad rem ipsam non potest rejici
,, divisio gratiæ in sufficientem & efficacem. Scire nunc velim, qua ratione per hanc suffi-
cientem gratiam eximere se possint Thomistæ à Censura secundæ propositionis ab Innoc. X.
proscriptæ: "Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur", si eam nuper rectè
quidam Molinista exposuit Thesi 4. dum dixit: "Illius propositionis sensum hunc in Auctore
,, (Jansenio) reperio; in statu naturæ lapsæ nulla datur gratia, quæ non sit efficax, quæ ob
,, voluntatis humanæ pervicaciam non sortiatur effectum illum, ad quem efficiendum à Deo
,, datur. Si ille est propositionis damnatæ sensus, damnata est doctrina Thomistica; cui nul-
las ferre poterit suppetias divisio gratiæ in sufficientem & efficacem, cum Thomistarum
Princeps & delitiæ apertè tradat lib. ante citati cap. 7. num. 103 § Circa. Communem esse
,, veramque Thomistarum sententiam, quod omne auxilium sufficiens comparatione unius
,, actûs semper est efficax ratione alterius, ad quem efficiendum ex absoluto & efficaci De-
,, creto voluntatis divinæ ordinatur. Et num. 105. Quod homo habens auxilium sufficiens
,, ad credendum vel conterendum semper cum effectu habeat præ dictos imperfectos actus,
,, manifestum est, quia auxilium sufficiens est gratia excitans tum ex parte intellectûs cum
,, voluntatis; sed, positâ excitatione tam in intellectu quàm voluntate, semper cum effectu
,, homo habet illos indeliberatos actus, quibus anima excitatur.,, Cessabunt controversiæ,
si huic doctrinæ voluerint Molinistæ subscribere; nos enim illam credimus Augustino con-
formem.

§. 6.

An falicius nobis objiciant, quod recedamus à doctrina Majorum circa libertatem Amoris beatifici?

HAnc quæstionem vix leviter attigerunt Majores nostri in justificatione Censuræ p. 188. n. 132. & sequentibus; neque admodum illa pertinet ad præsentem controversiam; scimus enim gratiam per se efficacem posse ab iis propugnari qui negant libertatem amoris beatifici: scimus etiam nullâ censurâ doctrinam Scoti Scotistarumque (qui apertè propugnant libertatem amoris beatifici, ut alii veteres tam scholastici quam Patres non pauci) hactenus fuisse notatam. Quod ad me attinet, non video satis probari doctrinam de libertate amoris beatifici Majorum nostrorum placitis repugnare. Docent illi quidem "amorem Beatorum erga Deum non esse ex ,, nuda suppositione efficacis Dei operationis necessarium, sed ex eo, quod humanæ volun- ,, tatis sic immutavit Deus statum, eamque sic penitus hâc affectione imbuit atque firmavit, ,, ut quasi in naturalem conversa motum videatur ,, Verum habent illa explicationem facilem, si veterum Scholasticorum, ac in primis S. Bonaventuræ phrases expendamus, qui in 2. dist. 25. ita habet; "Liberum arbitrium dupliciter potest considerari; aut secundùm ,, quod liberum, aut secundùm quod deliberans; si loquamur de ipso secundùm quod libe- ,, rum, sic concedo quod potest esse non solum respectu contingentis, sed etiam necessarii, ,, sicut patet in Deo, & in Christo, & in Angelis & in hominibus beatis. Cum enim du- ,, plex sit necessitas, videlicet coactionis & immutabilitatis, necessitas coactionis repugnat ,, libertati arbitrii, non autem necessitas immutabilitatis, eo quod arbitrium dicitur liberum, ,, non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum, sed quia omne quod vult, appetit ,, ad suiipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud, & ideò in actu volendi ,, seipsum movet & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ,, ordinetur ad istud. Hìc clarè D. Bonaventura duo distinguit, naturam scilicet liberi, & naturam arbitrii; Ad arbitrium spectat propriè partibus auditis deliberare, ideoque in solis contingentibus reperiri potest propriè ratio arbitrii; sed si spectetur natura liberi, *esse potest*, inquit D. Bonaventura, *etiam respectu necessarii*. Rectè ergo intelligi possunt Majores nostri in loco citato libertatem arbitrii non præcisè secundùm essentiam libertatis spectasse, sed secundùm quod illa reperiebatur in homine lapso, & hoc unum contendisse, libertatem indifferentiæ & arbitrii in eo reperiri, non obstante necessitate gratiæ per se efficacis, quod & nos libenter agnoscimus Cæterum quæ fuerit veterum de libertate Amoris Beatifici sententia perspicuè videtur testari Thomas Bradwardinus Archiepiscopus Cantuariensis qui Doctor profundus vulgò meruit appellari, apud quem hæc lego lib. 2. cap. 2. in fine; "Fortassè ,, quæreretur, numquid de essentia liberi arbitrii sit naturaliter libertas seu possibilitas contra- ,, dictionis, & hoc respectu cujuslibet actûs sui? Hoc enim videtur ex significato nominis ,, importari. Oppositum tamen est certum de libero arbitrio Dei, quo diligit se, quo quæ- ,, libet Personarum Divinarum diligit quamlibet aliam & seipsam.... Ulterius quæri potest, ,, nunquid liberum arbitrium, quod de se naturaliter est contradictionis semper liberè secun- ,, dùm contradictionem possit in oppositum cujuslibet actûs sui, hoc enim videtur in signi- ,, ficato nominis contineri. Oportet tamen distinguere tempora, & liberi arbitrii qualitates: ,, pro tempore namque & qualitate beatitudinis confirmatæ non potest, sicut ratio beatitu- ,, dinis confirmatæ demonstrat, & omnes Doctores Catholici unanimiter contestantur.

§. 7.

An Lovaniensibus rectè objiciant Molinistæ Censuras Pontificias?

AGnoscit Facultas Theologica Lovaniensis gratiæ excitanti (dic sufficientem Thomisticè si lubet) sæpissimè resisti, gratiam insuper per se efficacem sic defendit, ut resistendi potentiam non excludat. Sanam hanc esse doctrinam ipse testatur Annatus his verbis; *Gratiæ efficacis doctrina, quæ resistendi potentiam non excludit, orthodoxa est, ex Conciliis petita, à Thomistis, &*

Serbonistis defensa. Addo ego, validissimè à Lovaniensibus propugnata, quorum hæc est expressa doctrina pag. 186. justif. Censuræ n. 131. " Gratia voluntatem non determinat per " modum naturæ, sed per modum electionis operans in nobis velle, salvo eo volendi modo, " in quo summa inest nolendi potestas. Nihil ergò movemur quibuscumque æmulorum nostrorum querelis, dum illo etiam judice absolvimur, quem & Molinæ addictissimum & Jansenio præ exteris fuisse constat infestum. Acquiescere hic deberent Molinistæ, nec inutiles suscitare querelas, dum apertè vident doctrinam de efficacia gratiæ ab hac Facultate tradi, quam & Thomistæ laudant probantque, & ab omni Censura immunem pronuntiat Annatus. Instant tamen ac perpetuò urgent, ut hanc doctrinam nostram secernamus à damnata doctrina Jansenii; quasi ad hanc Facultatem pertineret litem dirimere, de qua nec ipsi inter se possunt Adversarii nostri convenire; dum enim singulorum expositiones circa sensus damnatos expendimus, eos inter se pugnare clarissimè comperimus. Concedunt Patres Societatis Lovanienses, doctrinam Thomistarum constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. non esse damnatam, doctrinam de gratia per se efficaci esse orthodoxam; verùm quod unâ manu largiuntur, aliâ rapiunt, dum hanc propositionem damnatam, " Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur". sic exponunt; " In statu naturæ " lapsæ nulla datur gratia, quæ non sit efficax, quæ ob voluntatis humanæ pervicaciam " non sortiatur effectum illum, ad quem efficiendum à Deo datur". Vide dicta §. 5. versus finem. Thomistam velim proferri, qui hanc illorum expositionem probet. Alios scio non defuisse qui Lovanii hanc assertionem illi commentario omninò conformem propugnarunt anno 1679. 28. & 29. Julii: "Quisquis gratiam efficacem, ita necessariam existimas, ut sine ea " opus bonum fieri aut tentatio superari non possit, agnosce te eum eodem (Jansenio) impiè, " blasphemè, & hæreticè sentire". Thesi 26. Nonnulli Jansenium accusant, quod omnem gratiam merè sufficientem repudiarit: alii quod delectationem victricem propugnaverit; alii hoc propriè volunt in illo fuisse damnatum quod concedat ita necessarium esse consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ, quamdiu illa inhæret, quomodo necessarius est amor beatificus, quamdiu durat visio. Alii quod docuerit voluntatem divinâ gratiâ prædeterminatam carere proximâ ad dissentiendum potentiâ. Alii quod distinctionem sensûs compositi & divisi sic interpretetur, ut sensus sit, voluntatem à Deo motam posse dissentire, quando illa motio abierit, & advenerit alia. Sunt denique & alii, qui sensum à Jansenio non formaliter sed interpretativè intentum velint esse damnatum. Quid inter sensus tam varios statuere poterunt Lovanienses? Quâ veri specie illis objicitur, quod Pontificiis constitutionibus illudant, si dicant à variis varios assignati sensus damnatarum propositionum, ideoque difficilius statui posse, quid præcisè damnatum sit?

Exultavimus quidem in Domino, dum vidimus PP. Societatis Lovanii constanter docentes, gratiam per se efficacem non esse damnatam; illa enim, illa est Helena, seu potius fructus pretiosissimi illius depositi, quod Hierosolymis Helena reperit, pro quâ hæc Facultas tot annis invictè certavit. Eorum laudavimus industriam, quâ viderunt, quod tot præstantissimorum virorum & ordinum justissima indignatio declinanda esset, sed dolendum, tam salubre consilium, quod & olim Annato placuit, non placuisse Societatis Patribus qui Romæ sedent ad clavum, eorumque Collegis qui in Hispania versantur apud Catholicam suam Majestatem. Satis constat, qualiter institerint illi, ut opera Lemos proscriberentur, illam inprimis ob causam, quod doctrinam continerent constitutionibus Innocentii X. & Alex. VII. contrariam. Scire velim, quomodo hoc contendere possint Molinistæ, si negent gratiam per se efficacem hac constitutione esse damnatam? Quid Lemos cum delectatione victrici? Quid cum necessitate libertatis amoris beatifici? Quid cum illa interpretatione sensûs compositi & divisi? Nonne Thomistæ omnes Thomam Lemos venerantur ut Scholæ suæ delicias & immortale decus? Quid ergò profuit constitutiones ante citatas illi opponere, si neque per illam doctrina Thomistica, neque gratia per se efficax damnata est? Viderî fortè possent hæc excidisse causæ momentum non satis expendentibus, neque id dicturos fuisse prudentes viros, si notassent, quæ indè tempestas sibi immineret, dum præstantissimorum Ordinum in se indignationem provocabant. Verùm adeò præstantissimorum ordinum non timuere querelas

las, ut illas magis excitârint porrecto Majestati suæ Catholicæ memoriali, in quo clarissimè ac nominatim Jansenismi labem affricant toti Religioni Præmonstratensium, item S. Augustini, S. Dominici, Cappucinorum, Carmelitarum Discalceatorum, Clero sæculari, Clericis Congregationis Oratorii &c. Quid nì ergò Schola Lovaniensis coram toto orbe dicere posit:

Cernite cum quibus Molinistarum Censuras sustineam. Cernite cum quibus mihi sit causa communis. Cernitè quam sit Molinistis periculosum Jansenismi crimen objicere talibus, & quam mihi gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus.

Tradunt præstantissimi illi ordines doctrinam à majoribus suis acceptam, coram sanctitate sua tam sæpè Romæ propugnatam, solemnibus Comitiorum generalium & Provincialium Decretis doceri jussam; & erit, qui credere poterit doctrinam tantâ auctoritate munitam Censuris Pontificiis fuisse confixam? Certè persuaderi non potuit Nicolao Oliva priori Generali Augustinianorum qui anno 1677. hoc edidit Decretum: " Nos de Consilio " RR. PP. qui nobis assistunt, decernimus & ordinamus, quod Professores nostri tam " Theologiæ quam Philosophię, tam Domestici in nostris Gymnasiis quam publici in Aca- " demiis, teneantur sequi, & in omnibus tueri tutissima & inconcussa dogmata SS. Parentis " nostri Augustini, signanter in materia de gratia primi hominis & Angelorum, in qua à " Deo creati sunt recti ac per hoc bonæ voluntatis. De divina post lapsum prædestinatione " in Christo Jesu non tantum ad gratiam, sed etiam ad gloriam independenter à prævisione " meritorum nostrorum prorsus gratuita, utpote quæ fons sit, origo & causa omnium in " nobis meritorem, & randem de gratia per se efficaci, quâ Deus in nobis operatur non " tantùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates ab initio nostrę conversionis usque " ad perseverantię donum juxta illud Apostoli gratię: Deus est qui operatur in nobis velle " & perficere pro bona voluntate. In cęteris verò controversiis &c.,, Quis hic reperiri poterit Baius, vel Bannez, aut alius qui odio in Societatem percitus Augustinianorum Generali inspirârit consilium hoc edendi Decretum, ex quo luculentè pateret orthodoxam esse doctrinam de gratia per se efficaci? si non occurrit, suggeram ego, quod illo anno Romam ab hac Facultate deputatus fit P. Christianus Lupus. Aliorum erit conjicere quas ille partes in hoc condendo Decreto habuerit. Ejusdem quoque Augustini de gratia doctrinam ab anno 1521. sibi Pręmonstratenses desponsarunt Decreto speciali. Carmelitarum Discalceatorum & Dominicanorum tam est aperta tam sępè declarata doctrina, tanto zelo contra Molinam vindicata, ut Censutam effugere nequeant, si Lemos, si gratia per se efficax censuram mereantur. Hanc etiam cùm illis subibit Schola Lovaniensis, si Sedes Apostolica gratiam per se efficacem eliminandam esse judicaverit. Quod licet aliquando fieri posse desperent Molinistę Lovanienses, non desperant exteri, dum tam apertum illi bellum indicunt in celeberrimis duobus orbis theatris, scilicet coram sua Sanctitate & sua Catholica Majestate. Speramus interim quod insultare nobis desinent Lovanienses Annato magis addicti, cum advertetint quam variè sensum Jansenii interpretentur Viri è Societate Primarii; nosque eam tantùm tueamur doctrinam quam ipse Annatus, saltem jam senior factus, sanam censuit & orthodoxam. Jam pridem notavimus quod quidam illis Romanorum Pontificum constitutionibus pro nutu & arbitrio suo abutantur nunc ut gratiam per se efficacem eliminent, nunc ut Molinam canonizent, & exosos reddant imperitis omnes qui illorum conatibus intrepidè obsistunt. Brevissimè cessarent contentiones omnes, si adverterent quam inutile imò & periculosum sit liberrimè accusare de hęresi viros integerrimos, & incessanter movere quęstionem circa illam determinationem sensûs ab auctore intenti, de quo nec ipsi inter se nec cum Thomistis conveniunt, nec facilè convenire posse videntur, donec superior accedat auctoritas. Semper maluit Facultas Lovaniensis quęstionem hanc ob studium partium intricatissimam referre ad Apostolicam Sedem, quam in hac interminabili controversia litigare cum privatis quibusdam; sollicitè interim cavens, ne vel verbulo impingeret in constitutiones sępè memoratas, ac contenta Majorum suorum propugnare doctrinam.

Am

An doctrina Lessii de Gratia & Prædestinatione sit canonizata per epistolam S. Francisci Salesii ad Lessium?

Testatur Cardinalis Bellarminus de grat. & libero arb. lib. 2. cap. 11. quod "Apostolica „ Sedes non tantùm semel sed etiam secundò & tertiò adversus Pelagianorum reliquias pro „ defensoribus Gratiæ & Prædestinationis sententiam tulit, ut jam hæc sententia„ (de prædestinatione gratuita „) non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici „ debeat.„

Idem opinionem Lessii de efficacia gratiæ procul ablegat tanquam omninò alienam à sententia Scripturarum Divinarum, & evertentem omninò fundamentum prædestinationis divinæ, quam S. Augustinus ex divinis Litteris solidissimè comprobavit. Videndus est Tannerus 1.2. disp. 6. quæst. 2. dub. 5. num. 77. qui etiam ibidem num. 86. apertè agnoscit eandem Lessii doctrinam peculiari Decreto Claudii Aquavivæ Societatis Præpositi Generalis anno 1613. fuisse improbatam.

Henriquez quoque Societatis Theologus lib. de fine hominis cap. 1. 2. doctrinam de Prædestinatione ex prævisis meritis graviter accusat ob eam inprimis rationem, quod constet illam esse planè contra Augustinum, quem Patres in Conciliis, & major meliorque pars Theologorum antiquorum, & torrens recentiorum sequitur in omni Academia orbis Christiani. Tum addit. Quidam doctus (scilicet Lessius) prædicavit in Academia Lovaniensi oppositum cum magno scandalo Academiæ. Et re ad Sixtum V. delatâ, sustinuit suæ temeritatis acrem reprehensionem.

Præ cæteris miratus est Thomas Lemos, quod disputationem suam Apologeticam de Gratia &c. fuisset ausus edere idem Lessius. Stuporis sui causam p. 1. tract. 6. cap. 2. pag. 129. refert hanc, quod antequam Apologia illa Lessii ederetur, Patavii prodiisset liber quidam illi adeo similis, ut eandem omninò contineret doctrinam. Ab ipso Patre Lemos liber ille examinatus est, ita mandante Magistro sacri Palatii. "Ex quo libro, inquit Lemos, viginti quatuor & plures assertiones, quæ à Pelagianorum errore minimè recedebant, deduxi & suis numeris præfixas Magistro sacri Palatii tradidi. Quo omnia an ita essent examinante, & SS. Clementi octavo id referente, prædictus liber ex Summi Pontificis expresso mandato totaliter fuit prohibitus, & ejus „ prohibitio Romæ publicata typisque excussa. Etiam post libri prohibitionem ejus auctor „ (Paulus Benius Eugubinus) Romam vocatus fuit, & graviter reprehensus. Similiter & accersiti „ sunt Romam illius libri examinatores atque reprehensi.„ Non potuit proinde causa ob quam liber ille fuerat proscriptus latere, illum præcipuè, cujus in libri examine principales partes fuerant. Addit tamen: "in tantum doctrina ista serpere contendebat, ut etiam post has duas li- „ brorum (idiotæ Hispani & Pauli Benii de quo ante) prohibitiones, quarum prima sufficere „ deberet, ut amplius talis doctrina non divulgaretur, iterum tertius liber publicatus est & „ Antverpiæ excusus eandem omninò doctrinam continens cui titulus est *De gratia efficaci, &c. Disputatio Apologetica Leonardi Lessii.*

His expensis nemo tam nobis erit iniquus, ut censeat nobis transeundum in partes Lessii ob qualemcumque libro ejus datam approbationem per S. Salesii Epistolam, ac deserendas partes Apostolicæ Sedis, quæ, teste Bellarmino, non tantum semel sed etiam secundò & tertiò pro Prædestinatione gratuita sententiam tulit; ideoque nec oppositam impunè tradidit Lessius quantumvis à Salesio laudatus, sed à Sixto V. acrem suæ temeritatis passus est reprehensionem; quam & subierunt illi qui eandem omninò tradiderunt doctrinam, maximè Paulus Benius, cujus librum à Thoma Lemos examinatum, de mandato Summi Pontificis fuisse prohibitum supra ab ipso Lemos audivimus. Reprobatam, teste Tannero, ab ipso Societatis Generali doctrinam Lessii de gratia non est æquum tanto zelo vindicari.

Quibus olim laudibus extulerint Lessium ejus Collegæ utcumque perspicitur ex Facultatis Theologicæ Lovaniensis decreto anni 1613., in quo refertur sparsum fuisse per Hispaniam, Italiam & alias partes, quod Facultas Theologica Lovaniensis antiquam mutasset sententiam ob energiam

energiam argumentorum, quæ P. Lessius tum vivæ vocis dictamine tum edito libro in medium attulerat. Quid enim mirum, si his auditis viri etiam pii & eruditi respitarint?

Sanè & humanitati & viri sanctissimi honori longè magis fuisset consultum, si hæc epistola officiosa magis quàm doctrinalis, ut latuerat hactenus, latere pe exiisset; sicuti enim facile omnes intelligunt non esse canonizatum per eam librum de Iure & Iustitia, obstante Pontificio Decreto contra 65 propositiones, ita quoque intelligitur facillimè per illam non esse canonizatam Disputationem Apologeticam de Gratia; maximè cum apertè scribat, quod nonnisi obiter sparsimque oculos in illam injecerit. Deinde certum est magni momenti esse non posse, quæ transcunenter tantùm attigit contra doctrinam, quam tantô molimine stabilivit Augustinus ejusque Discipuli. Dolendum est quod hanc alibi quæstionem non tractaverit operosius & ex professo vir mitissimus; disceremus enim tunc facilius, quomodo in hanc Lessii sententiam sit delapsus. Si tamen conjecturis in re tam obscura uti liceat, facilè crederem evenisse ex eo, quod cum diligentissimè legeret vitas & collationes Patrum, in Cassiani librum inciderit, nec suspicatus sit quidquam contineri à recta fide devium in illo, quem fortè Stephani Tuccii Theologi è Societate (magnifaciebat autem quidquid ex Societate procedebat, ut scribit in eadem Epistola) notis illustratum vidit; maximè cum jam pridem non defuerint alii, qui Cassiani partes tuerentur, juxta illud Marianæ lib. 3. de Mort. cap. 8. "Quæ à Cassiano dicta sunt omnia de Gratia & libero arbitrio, à Viris Eruditis nostra ætate defenduntur, quasi pietati consona, neque deflexa " à fidei regula sancta.„ Quidquid de illis sit, hanc Lessii de Prædestinatione post prævisa merita sententiam Augustino ejusque discipulis improbatam fuisse non dubitamus, neque multum dubitarunt Adversarii nostri ante motam cum hac Facultate controversiam; ac proinde antiquitas illius sententiæ, quam laudat S. Salesius, ab iis tantum peti potuit, quos Augustinus ejusque Discipuli oppugnârunt & superârunt. Salesium veneramur, sed magis Augustinum in illa præcipuè doctrinæ parte, quam se velle sequi Romana sæpiùs declaravit Ecclesia.

§. 9.

An rectè nobis objicere pergant Adversarii doctrinam veterum quorundam hujus Scholæ Magistrorum, Driedonis, Ruardi, & quorundam illis contemporaneorum?

DEflexisse nonnihil quosdam Doctores ac probabiliter opinando proposuisse varia contra articulos, quos pro indubitatis habet hodie hæc schola dictum est sæpius. Causam habes apud Estium in Oratione Duaci habita anno 1609. quod nempe " illo tempore & ab illis lege„ retur liber de Ecclesiasticis dogmatibus, tanquam Augustini, qui est Presbyteri Massiliensis „ & liber Fausti de libero arbitrio tanquam Catholici ac venerabilis Patris, quem tamen satis „ constat fuisse hæreticum; cumque brevis ille in Epistolas Pauli commentarius, qui inter „ opera Hieronymi extat, tanquam Hieronymi legeretur, cum sit ipsius Pelagii......... At nec „ illud de Ruardo prætermittendum est, eum aliquando à magnis viris, & nominatim à Petro „ Soto doctissimo ac sanctissimo Theologo admonitum & reprehensum fuisse & coram & per lit„ teras, quod in illis suis de gratia & prædestinatione opinionibus non rectè ambularet secun„ dum veritatem Ecclesiasticæ & Apostolicæ doctrinæ. Qui etiam aliquando à quodam Collega „ admonitus de Fausto, quod non venerabilis, ut ille eum vocabat, sed damnabilis auctor esset, „ ea re sibi indicatâ vehementer obstupuit, ut ego ex illo ipso Collegâ accepi. Nam ab eo „ Collegæ sui, iique præcipui dissentiebant.„

Quod de Petro Soto refert Estius, confirmat Thomas Lemos lib. 1. tract. 5. pag. 124. his verbis: " Sapientissimus ille Magister F. Petrus Soto. Ord. Prædicatorum, omnium suffragio „ doctrinæ laude clarissimus, & famâ super æthera notus, certior redditus, quod nonnulli Facul„ tatis Lovaniensis Doctores non rectè de prædestinatione, divinæ gratiæ auxiliis, ac libero „ hominis arbitrio sentirent adversus antiquam & probatissimam S. P. Augustini doctrinam „ communiter ab Ecclesia Catholica receptam, imminenti huic malo remedium afferre con„ stituit, & ea de causa doctissimam quandam conscripsit Epistolam Ruardo Tappeto Lovaniensi

„ Decano

„ Decano, in qua se valdè mirari significat, quod hujusmodi doctrinam ipse probaret ac sustine„ ret, imo & ab aliis sustineri ac defendi pateretur ac sineret, efficacissimis dein argumentis „ probans eam à Pelagianorum errore toties temporibus illis damnato, & anathematizato minimè discrepare.


Fontes periculosos vidimus, è quibus opinationes suas hauserunt Driedo & Ruardus, & tamen liudignantur Adversarii nostri, quod ex illis dogmata nostra non hauriamus. Indignentur ergò & Collegis Ruardi, quorum præcipuos à Ruardo dissensisse testatur Est:us, nec unquam vel ejus temporis facultatem aut notabilem aliquam ejus partem Ruardi opinationes probavisse testatur justificatio Censuræ Lovaniensis pag. 272. cujus eo certius est testimonium, quod tunc in Facultate non deessent Doctores, qui cum Tappero supra viginti annos versati certissimè poterant referre sæpius auditas Tapperi Collegarumque ejus opiniones & dissensiones.

Si tamen inquirere lubet, cur tantopere olim Molinistæ doctrinam Tapperi deprædicarint, eruetur id facillimè ex justif. Censuræ Lovaniensis pag. 98. & sequentibus, in quibus referuntur auctores, quos tam in Apologia sua, quam prælectionibus ad confirmandam suam de prædestinatione doctrinam protulerunt. Quod de Ruardo jam diximus, videmus ibidem Patribus Societatis placere, nempe Faustum Rhegiensem Episcopum, Ruardi Magistrum, inter veteres Ecclesiæ Patres recenseri; naturale ergo fuit ut ejusdem Magistri (quamdiu ignorabant illum ab Ecclesia damnatum) discipuli mutuis se prosequerentur officiis; at longe alia est ratio, postquam Lovanienses luculente ostenderunt inter sanctos Ecclesiæ Patres non posse recenseri eum, quem "certum sit Pelagianæ hæreseos cum Massiliensibus fuisse reliquias, atque hoc nomine „ scripta ejus à Gelasio Pontifice rejecta fuisse, atque damnata à Petro Diacono Orientalis Ec„ clesiæ ad Sedem Apostolicam cum cæteris Legato, anathematizata à Fulgentio, Maxentio „ viro Dei, Alchimo Avito Viennensi Episcopo, Ioanne Antiocheno velut hæretica oppugnata, „ ab Isidoro Hispalensi Episcopo, & ab Adone Viennensi gravissimè notata & condemnata non „ absque Gennadii reprehensione, qui similia sentiens auctoris ejus libros approbârat.,. Fausto ergo Magistro tot censuris notato, in materiis de gratia præcipuè & prædestinatione deserendus est Ruardus Fausti discipulus; & quod olim de Sedulio nostri dixere Majores, pari ratione dicimus de Tappero: *necesse est* (Ruardum) *repulsa hujus participem fieri, qui profunda Fausti calliditate circumventus, ut & alii plures ejus libri sibi verba & dogmata libro suo inferenda putavit.*

Hic pro coronide obiter & amicè quosdam monitos velim, ne deinceps hæreticorum, quos neque vidimus neque legimus, multò minus pro confirmanda nostra doctrina citavimus, dogmata quædam non hæretica nostris in speciem affinia coacervent, nobisque exprobrent, turpe esse à tam impuris fontibus nostram mutuare doctrinam; nam præterquam quod hoc habet omnis hæresis ut falsis vera permisceat tanquam lepra varios colores exhibens, cavere debent, ne illis objiciamus quod non tantùm ea docuerint, quæ tradiderunt quidam hæretici, sed etiam auctores hæreticos vel de hæresi suspectos ferè viginti citaverint in suis prælectionibus primi Molinæ vindices juxtà ea quæ tradunt nostri Majores in justif. pag. 107.

IMPERTINENS
Hæresis prædestinatiana est mera fabula.

FINIS.





„ majorum nostrorum S. Augustinum (præsertim in materia gratiæ Dei & humanæ libertatis „ contra Pelagianos & Semipelagianos) Dei præeunte lumine & Ecclesiæ Romanæ ductu „ exactè sequi, nec latum unguem à vestigiis ejus deflectere unice studemus.

„ Belgicarum quoque Universitatum Lovaniensis & Duacensis à sexaginta jam circiter „ annis Censuras adversus P. Leonardum Lessium & P. Joannem Deckerium aliosque So- „ cietatis Sacræ Theologiæ Lovanii & Duaci Professores: denique quidquid postea Cle- „ mens VIII. & Paulus V. in celebri disputatione Romana contra Ludovicum Molinam & „ Sectatores ejus censuerunt, exosculamur & Dei gratiâ firmiter retinere conamur.

„ Quicumque de nobis aliter, pro mendacibus & calumniatoribus habemus, & si opus est, „ tales esse publicè in judicio contradictorio sustinebimus. „

Tum præcipuè opus fuit ab Adversariorum se vindicare calumniis, dum promulgatis Innoc. X. & Alexand. VII. Constitutionibus liberâ dominari videbantur arenâ. Neque tamen vel tunc cessavit hæc Facultas, quâ potuit meliori viâ, eorum se conatibus opponere. Hinc iterum datis ad Alexand. VII. litteris sua sensa sic apertissimè exposuit anno 1660, 20. Martii; " Ut magis sinceritas nostra pateat, doctrinam de Gratia & Prædestinatione, „ quam tradimus, & à majoribus accepimus, quam & illi olim ad Sixtum V. Prædecessorem „ S. V. transmiserunt, vestræ quoque Sanctitati (si ita visum fuerit) illicò transmittere, „ ejusdemque subsecuturo judicio per omnia nos conformare promptissimis animis pollice- „ mur. „ Adeò Pontifici certum fuit sanam & orthodoxam esse traditam à majoribus nostris doctrinam, ut neque ullâ eam Censurâ notare, neque vel illius libelli examen voluerit instituere, quia, ut rescribere dignatur 7. Aug ejusdem anni, " Non dubitamus, quin vos „ pro singulari scientiæ pietatisque studio sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ „ Sedis Declarationes & SS. Patrum Traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, „ & adversus Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis, nec non praclarissimorum Ec- „ clesiæ Catholicæ DD. Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata „ sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis. „ Quam gratum & acceptum Facultati Theologicæ Lovaniensi fuerit hoc Apostolicum breve constat ex responso Facultatis dato „ die 10. Septembris ejusdem anni his verbis: "Quantum inde nobis gaudii in Domino, quis „ Facultati nostræ, quis studiis Theologicis honor & calcar accesserit neque effari neque scri- „ bere possumus, tantum abest ut gratiis agendis pares simus. Has nihilominus agimus pro- „ voluti quotquot sumus ad pedes T. S. quam (dum nobis præscribit, ut præclarissimorum „ Ecclesiæ DD. Aug. & Tho Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata semper sequamur „ & impensè revereamur) uti antiquæ & celeberrimæ doctrinæ conservatorem veneramur. „ O quantus esset in Ecclesia Catholica unitatis & sanctitatis splendor, si in Cathedris Theo- „ logorum & subselliis omnes cum his SS. Doctoribus unum saperent, unum loquerentur, il- „ ludque per Discipulos suos in fidelem populum derivarent! sperandi planè forent alii mo- „ res, ubi hâc salutari doctrinâ passim fidelium cœtus imbueretur. Hinc pro ea tuenda majores „ nostri sæculo superiori plurimum desudarunt adversus eos, qui non satis his SS. Doctoribus „ deferunt. Nos adversus eosdem eadem ex causa jam annos viginti concertationem sustine- „ mus Non autem (coram Deo loquimur) ut privati cujusquam sensa tueremur. Securè „ nobis pollicebamur, quod sive seriùs sive ocyùs (quis enim divinæ providentiæ legem „ statuit?) pro tuenda auctoritate SS Augustini & Thomæ laborantibus aliquando opem „ ferret suprema Sedis Apostolicæ auctoritas „ Certissimè ab eo tempore credidit hæc Facultas licitum sibi esse propugnatam à Majoribus suis de Gratia efficaci doctrinam tueri, reclamantibus licet Molinæ Lessiique Discipulis, quorum importunis clamoribus ac frequentibus querelis iterum excitata & coacta tres è suo gremio Romam deputavit anno 1677. qui eandem rursus doctrinam Sedis Apostolicæ judicio subjecerunt, oblato Sanctitati suæ libello, in quo continentur hæc pauca causam præsentem spectantia: " Porrò eadem „ Facultas (Lovaniensis) ab Eugenii IV. Pontificis sui erectoris tempore circà dogmaticas „ de divinæ gratiæ Decretis atque auxiliis quæstiones semper sequi studuit S. Augustinum „ frequenter laudatum ac probatum à Romana Ecclesia. Credidit ipsum integrum custo- „ dem Apostolici depositi. Nihilominus sanctissima ejus doctrina à quibusdam lapsæ volun-

„ tatis

,, tatis nostræ vulnera non sat considerantibus passa est frequentes contradictiones, ideoque ,, & sub præteriti sæculi finem quibusdam displicuit. Hinc nostram Theologicam tunc Facultatem & Lovanii & Duaci regentes emiserunt scholasticum judicium, quo plures istius ,, materiæ articulos improbarunt, & sua sensa exposuerunt, & fuerunt compulsi subjungere ,, brevem istius sui judicii justificationem. Hæc omnia sancta nobis videntur & firma, semperque placuerunt, ac proinde censemus ab ipsis non recedendum. Ne tamen uti homines ,, deviemus, illa exhibemus Sanctitati vestræ opportunè discutienda, &c. ,,

Ex his certissimè sequitur; firmiter Facultati Theologicæ Lovaniensi esse propositum inhærere doctrinæ majorum suorum; prout tam apertè tam uniformiter toties id declaravit, ac etiamnum quotidie declarat in Thesibus & Disputationibus publicis.

§. 2.

Doctrina Facultatis de Gratia per se efficaci exponitur verbis ipsis Censuræ, & ejus justificationis.

INter assertiones Patrum Societatis, quæ displicuerunt huic Facultati, decima erat hæc: " Augustinus ubicumque dicit nos non tantum gratiâ egere quâ possimus, sed etiam quâ ,, faciamus, intelligendus est de supradicto concomitante concursu, quod scilicet non possi- ,, mus facere sine auxilio gratiæ concomitantis, alioquin dictum ejus non esset universaliter ,, verum. Nam ut faciamus non requiritur efficax excitatio, quæ voluntatem infallibiliter ,, determinet, qualis fortè fuit in Paulo, Magdalena, aliisque nonnullis dum converteren- ,, tur, sed sufficit multò minor, quæ plenissimam relinquat libertatem.

C E N S U R A.

,, RIdiculum est B. Augustinum de hoc naturali, seu ut ipsi appellant supernaturali con- ,, comitante auxilio interpretari velle, quo præstetur dumtaxat nobis posse si velimus, ,, aut etiam velle si voluerimus, non autem præveniendo nos operetur ut velimus & facia- ,, mus. Quasi in hac nostra infirmitate non universaliter tam efficacem Dei gratiam postulet ,, Augustinus, quæ humanam voluntatem infallibiliter determinet, quæque præponenda ut ,, Domina sit, non autem libero arbitrio subjicienda quasi pedissequa & subserviens si velit. ,, Plana quippè est ejus doctrina lib. de corrept. & grat. ubi talem gratiam non paucis qui- ,, busdam sanctis, ut Paulo, Magdalenæ, similibusque propriam, sed omnibus omninò ,, sanctis ad pie vivendum facit necessariam, ut isto scilicet modo humanæ voluntatis infir- ,, mitati, qua omnes laborant, subveniretur, eamque à primi hominis gratia accuratè ,, distinguens non solum ei tribuit posse si velimus, sed facere etiam ut velimus,, Similia plura reperiuntur ad Censuram asserr. 4.9. 1.12. & 15. tam Lovaniensem quam Duacensem.

Eandem suam doctrinam clarissimè explicant, ac omnes Adversariorum machinas evertunt cap. 11. justificationis, quod totum hic habemus pro expresso. Paucula tamen hic delibabo in quibus doctrinam suam evidentius exprimere videntur. En eorum verba pag. 19. n. 139 " Putamus homini Catholico statim displicere debere ejusmodi sermonem, quo dicitur ,, efficax præoperatio Dei libertatem actionis auferre; cùm in eo quod Apostolus dicit, ,, Deum operari in nobis velle & perficere, planè efficax ejus operatio intelligenda sit, non ,, ea quâ volentem suo concursu comitatur, quod & incorruptis hominibus fuit necessarium, ,, sed ea quæ prævenit ac præoperatur ut velit, sic omninò ut eam gratiam non habeat nisi ,, qui velit Declarat hoc Augustini locus: Certum est, inquit, nos velle cùm volumus, ,, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod præparatur voluntas à Domino, ,, De quo dictum est: à Domino gressus hominis diriguntur. De quo dictum est: qui ope- ,, ratur in nobis velle & perficere; aliasque non raro. Et hunc Apostoli locum & gratiam ,, Christi, quæ præstat efficaciter ut velimus, de præoperante gratia explicat, non de illo

con-

,, concomitante concursu, quem non ignorabat ad primam naturæ institutionem, creationis-,, que beneficium, non ad Christi gratiam propriè pertinere.,, Hinc concludimus juxta Majores nostros efficacis gratiæ naturam consistere in gratuita & benigna Dei præoperatione qua propriè in libero hominis arbitrio operatur ipsam conversionem, seu alium quemcumque actum veræ pietatis juxta illud Bernardi in Censura Duacensi ad assert. 8. " Quod à ,, gratia sola cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mistim non sigillatim, simul non ,, vicissim per singulos profectus operetur, non partim gratia partim liberum arbitrium, sed ,, totum singula opere individuo peragant; totum quidem hoc, & totum illa, sed totum in ,, illo, & totum ex illa.,, Operatur ergò gratia ipsum voluntatis motum efficienter attingendo, hoc est voluntatem ipsam explicando & determinando ad volendum & eligendum, (non ergo tantum infundendo delectationem quandam omnino indeliberatam) ita ut fieri non possit, quin gratia ista habeat suum effectum, quoniam fieri nequit, ut Deus voluntatem determinet, & non ipsa voluntas determinetur; dilectionem voluntati inspiret, & non ipsa voluntas diligat. " Si quis enim sufficienter afficitur ad prædicatum sibi Dei Verbum,, inquiunt Majores pag. 179. num. 124. justif. Censuræ " & errorem contrarium sufficienter ,, aversatur, jam vult credere, eamque affectionem ipse sibi sentit ad conversionem sufficere: ,, si autem nondum vult credere & adhuc fidem aversatur, nondum etiam habet sufficientem ,, affectionem ad ea, quæ sunt proposita sibi Religionis. Unde colligitur sufficientem præ-,, parationem nunquam esse à credendi aut benefaciendi voluntate disjunctam. Si enim ,, affectio bona, præparatio est, ergo sufficiens affectio sufficiens erit præparatio. Atqui ,, probari non poterit ille ad credendum verbo Dei sufficienter affectus, qui prædicationem ,, ejus respuere perrexerit, ipsaque sufficiens ad credendum affectio jam fides est, & suffi-,, cienter ad conversionem affectus intelligi nequit non esse conversus.

Explicare non potuerunt clarius efficacis gratiæ energiam, quàm hodie tuetur schola Theologica Lovaniensis, & quam irritis conatibus oppugnant ejus Adversarii.

§. 3.

Quid de Censura Lovaniensi, & ejus de justificatione censent Thomistæ?

JUstificationem Censuræ Lovaniensis à duodecim Sacræ Theologiæ Magistris unanimiter fuisse probatam acta nostra testantur. Erat autem inter hos duodecim Magistros tertius P. Petrus Bacherius Ord. PP. Prædicatorum, quem in principibus ætatis suæ Theologis numeratum refert in suis elogiis Belgicis Aubertus Miræus, ut meritò hæc justificatio non tantum Thomistas approbatores, sed etiam auctorem habere dicenda sit. Eandem confirmavit Thomas Torres, ut vel ob hanc causam dici possit de Universitate optimè meritus, eamque in arduis & gravioribus negotiis contra suos æmulos non semel & sedulò juvisse; quod illi elogium pangunt fasti nostri Academici. Ille enim, ille est qui ad Facultatem retulit rumores illos, qui per Hispaniam Italiamque spargebantur, eique persuasit edere declarationem, quâ profiteretur se persistere in antiqua sententia, quam in Censura Summo Pontifici Romam transmissa quondam tenuit. Edita fuit illa declaratio anno 1613. ut supra diximus, auctorem habens ipsum Torres, cui id Facultas commiserat, cum esset pro tempore Decanus. In justif pag. 271. commendantur, "Dominici Bannesii in Beatum Thomam com-,, mentarii qui singulari Dei providentia opportunissimè pridiè quam Illust. Reverendissi-,, musque Apostolicus Nuntius accederet Lovanium perlati fuere Nulla hic ferè, in-,, quiunt Majores nostri, assertio, aut doctrinæ pars est, quam non ille ex professo oppugnet, ,, nihil vetitus quoque ad Pelagii eam rejicere hæresim, quasi digito etiam novitiæ hujus ,, doctrinæ notatis auctoribus.

Thomas Lemos Tom. 1. part. 2. tract. 3. cap. 5. pag. 102. col. 1. Censuram Lovaniensem & Duacensem ejusque cum Parisiensi & Salmanticensi concordiam præclare commendat his verbis: " Divinas prædefinitiones, & his & præteritis temporibus Academiæ insignes

,, de-

„ defensárunt, Parisiensis antiquissima, Lovaniensis florentissima, cum alia nobilissima „ Duacensi, atque sapientissima Salamantina. Hæ tres quidem posteriores in suis doctissi- „ mis Censuris, quas in hac materia, durante hæc controversia, ediderunt, quibus efficaciam „ Dei prævenientis gratiæ, & divinæ voluntatis prævenientis omne nostrum bonum opus, „ salvâ perfectâ nostrâ libertate, ediderunt, & oppositam sententiam contendentium auferri „ vel impediri libertatem ex Dei efficaci voluntate prævenienti confuderunt....... De Pari- „ siensi autem infra referentur Censuræ, quibus non semel divinæ voluntatis efficacem præ- „ definitionem retinuit & illam impugnantes sicut libertatis nostræ impeditivam compescuit. „ Omnes igitur quatuor in orbe florentissimæ Academiæ pro efficace Dei præveniente vo- „ luntate testimonium ferunt, & divinæ voluntatis prædefinitiones contra illarum adver- „ sarios tuentur & venerantur.

En Academiarum florentissimarum concordiam in puncto, de quo quæstio, à Thomista- rum Principe tam apertè declararam, ut nihil illi videatur addendum præter id quod idem ejusdem part. tract. 5. cap. 35. pag. 287. col. 2. iterum urgens Academiarum concor- diam contra scientiam mediam, "Damnant illam, inquit, Academiæ florentissimæ, quæ ex „ professo causam istam examinarunt, Lovaniensis enim gravissima & fundatissima in SS. „ Patribus Schola scientiam istam sicut Semipelagianorum fundamentum damnat in quadam „ doctissima Censura satis omnibus nota, & in alia quàm prioris justificationem prænotavit, „ in quibus totam horum sententiam cum hac media scientia totius illius fundamento pariter „ damnat. „ Ejusdem Censuræ tam Lovaniensis, quam Duacensis causam suscepit universi- tas Tolosana, ut constat ex litteris datis anno 1648. tum ad hanc Facultatem quam Duacen- sem, in cujus gratiam editum est à Duacensi Manifestum, cujus suprà meminimus. Sunt & in promptu testimonia quibus Alvarez, Vincentius Baronius, ac alii Thomistæ ex utraque Academia Belgica usque hodie superstites hanc concordiam probant, adeo ut certum sit, non tantum addictissimas D. Thomæ Academias, sed etiam Thomistarum Principes tam sollicitè pro tuenda Scholæ Lovaniensis unione cum Thomistica laborare, quam laborent Molinistæ, ut hanc unionem possint tollere.

§. 4.

Quid huic Censuræ Molinistæ objicere soleant?

CUm anno 1648. mota fuisset in Universitate Tholosana circa Censuram hanc controversia, de qua suprà, exposuit eadem Universitas datis ad hanc Facultatem litteris, quod Jesuitæ dicerent "Censuram illam non à tota Facultate Theologiæ sed à privatis quibusdam Docto- „ ribus sibi infensis, & propter Michaelis Bay condemnationem odio perciris emanasse atque „ illam ipsam nedum Decreto Nuntii Apostolici, verum etiam diplomate Pontificio fuisse „ recisam. Econtra verò, inquiunt, S. Theol. Professores (Universitatis Tholosanæ) asserunt- rem aliter se habuisse.„ Veteres sunt Querelæ ex imagine primi sæculi lib. 6. cap. 4. desumptæ.

Non à privatis quibusdam Doctoribus emanasse censuram luculentè constat ex subscriptione justificationis, ubi testatur Decanus eam omnium ejusdem Facultatis Doctorum concordi judicio fuisse probatam. Ordinasse equidem videtur divina providentia, ut circa illam ipsam subscriptionem moveretur difficultas quædam, ne posteris posset subesse dubium, quin con- cors universæ Facultatis hæc fuerit sententia. "Volebat Apostolicus Nuntius aliam subscri- „ ptionem dari abhorrentem à consuetudine & veteri more nostræ Facultatis, inquiunt acta, „ nempe ut solus Bedellus subscriberet duorum testium junctione factâ „ & expressis singu- „ lorum Magistrorum nominibus, qui eam se justificationem coram dictis testibus probare „ profiterentur. Verum Facultas eam ob causam sub juramento vocata judicabat insistendum „ esse priori subscriptioni, quam se concorditer omnes probare declarabant. Agendum quo- „ que esse apud Illustr. Nuntium, ut eâ subscriptione dignaretur esse contentus. Id quod eo „ ipso die ab eo impetraverunt Decanus, Gravius, & Lensæus. Hoc unum ille requirebat, „ ut in ipsa Facultate exhibitio coram Jacobo Perano suo abbreviatore satisfaceretur, & „ quantum opus esset ab omnibus repeteretur, Quamobrem ejusdem diei tertiâ horâ pome-

„ ri-

,, meridiana, Facultate iterum sub juramento vocatâ, cum omnes adessent præsentes in loco
,, minoris Capituli S. Petri Lovaniensis, omnium etiam una vox eademque sententia fuit de
,, ratificanda & repetenda, si opus esset, exhibitione semel facta. Tum ingredi jussus est Pera-
,, nus abbreviator cum Bedello & testibus duobus, coram quibus repetita est ab omnibus
,, Magistris dictæ justificationis exhibitio.,, Ergo indubitatum est universæ Facultati & Cen-
suram & ejus justificationem fuisse probatam. Nec minus certum est, causam huic Censuræ
non præbuisse odium in Societatem contractum propter Michaelis Baii condemnationem à
Francisco Toleto Lovanii promulgatam; primò quidem, quia constat antè Censuram
Pii V. & Greg. XIII. concordem Lovaniensis Scholæ fuisse sententiam de prædestinatione
& gratia Articulis Lessii anno 1587. reprobatis directè oppositam: Testatur enim Estius in
oratione anno 1609. habita Duaci, quod ab anno 1561. usque ad annum 1582. quo has
Scholas trivit partim ut discipulus, partim ut Licentiatus aut Magister, quique sententias
& Doctrinam Professorum illius temporis probè cognitam se habuisse declarat, eo locò tunc
habita fuisse dogmata Lessii & Deckerii, ut si quis ea publicè vel docendo proponeret, vel
disputando defenderet, non parum offenderet. " Quamvis, inquit, præter Cunerum vix
,, aliquem novi qui id tentarit, etsi per id tempus, quod nominavi, habuerit ea Schola Do-
,, ctissimos Professores.,, Offendebantur proindè Doctores Academici dogmatibus illis ante-
quam Censura prodiret. Constat item ex fastis Academicis pag. 370. non habuisse Faculta-
tem Theologicam, quod de Toleto conquereretur.

Evidens quoque est ex præfatione Censuræ Lovaniensis, Robertum Bellarminum qui anno
1570. Mense Octobri (id est, eo ferè tempore quo solemniter Bulla Pii V. Lovanii pro-
mulgata fuit) Theologiam docere cœpit, è Societatis Cathedra Lessio planè adversa atque
contraria sensisse & publicè docuisse; Neque tamen privato in Baium affectu facilè quis
eum abreptum fuisse suspicabitur, sed potius tradidisse doctrinam de prædestinatione, quam
& Lovanii tradi videbat, & Patavii didicerat anno 1567. à Patre Carolo Pharaonis Theologo
Societatis, qui non ex prævisis operibus eam repetebat, sed cum Augustino eam gratuitam esse
existimabat, Teste Jacobo Fuligatto lib. 2. cap. 2. 1. in ejus vita.

Constat insuper Censuram Facultatis Duacensis omnino esse conformem Lovaniensi, ad
quam tamen causa Baii nihil pertinebat.

Constat denique ex ipsa imagine primi sæculi "Mechliniensem ac CameracensemMetropo-
,, litas Synodum parasse Episcoporum, qua dogmata à duabus Facultatibus damnata discute-
,, rent, eademque toto proscriberent Belgio tanquam impias Massiliensium aut Pelagii reli-
,, quias, adeoque Societati notam inurerent hæreticæ pravitatis.,. An & de illis dici poterit
quod propter Michaelis Baii condemnationem odio perciti causam hanc ferventer adeò pro-
secuti sint? Vix crederem hoc Adversariis nostris potuisse incidere, nisi viderem quod simili
fere ratione eludere conati sunt Censuram, quam contra Molinam Academia Salamanticensis
ediderat. " Data erat, inquit Lemos tom. 1. part 2. tract. 5. cap. 1c. p. 288. jussu & de
,, mandato supremi Senatus sanctæ ac generalis Inquisitionis in Hispaniæ regnis 22. die
,, mensis Julii anno 1595. in qua & septem Doctissimi Theologi subscribunt & per novem
,, Catholicas Propositiones ostendunt; quid de materia divinorum auxiliorum tenendum sit
,, contra sententiam Ludovici Molinæ & PP. Societatis. Sed & priusquam concordia Molinæ
,, prœlo esset mandata, Patres Societatis quasi ad ipsum disponentes eandem de concordia
,, doctrinam in Salmanticensi Academia publicare cœperunt, quam illius insignis Universi-
,, tatis Professores non solum ex Dominicana familia, sed alii Magistri doctissimi illam no-
,, vam doctrinam tanquam erroneam & de Pelagianorum reliquiis derivatam ad sacros fidei
,, Censores deferendam esse judicarunt. Unde & S. Inquisitionis Vallisoleti judex insignis
,, Joannes Aretus Vir ingenio, litteris, & prudentia clarus Salmanticam hujus rei inqui-
,, rendæ & examinandæ causa missus fuit. qui diligenti examinatione de assertionibus &
,, assertoribus factâ, omnes Sacræ Theologiæ illius Universitatis Magistros in unum congre-
,, tos consuluit. Qui temeritatis & erroris notâ prædictam sententiam (de scientia media)
,, dignam subscriptis propriis nominibus judicârunt. Et infra: Consulti Episcopi Hispaniæ,
,, qui (ut notum est) & doctrina & religione sunt præstantissimi, & qui Molinæ novam con-

cordiam

" cordiam hac media scientia fundatam attentius consideràrunt, pariter damnavere, & damnandam judicàrunt.,, Quis hic reperietur, qui odio in Societatem percitus hanc tempestatem excitàrit? Eam tribuit quidam Dominico Bannez. Sed estne credibile quod unicus Primarius Cathedræ Salmanticensis Professor omnes Salmanticenses Doctores, & Hispaniæ Episcopos pertraxerit in sententiam suam? Quid ni? si Baius Facultates Lovaniensem & Duacensem ac insuper omnes Belgii Episcopos sibi conciliare ac confœderare potuit, ut vel sic qualescumque ageret honoris sui vindicias?

Alia quædam majoris momenti refert ibidem Lemos, quæ Romæ gesta sunt coram Clemente VIII. quæ hic consultò prætermitto, quia si Baius Episcopos Belgii cum Facultatibus Lovaniensi & Duacensi, & Bannez Academiam Salmanticensem cum Episcopis Hispaniæ tam facile potuerint sibi devincire, jam mirum videri non debebit quod & Clementem VIII. & Consultores omnes, uno solo dempto, inescare potuerit P. Thomas Lemos.

Quod addebant Jesuitæ, juxta ea quæ suprà referuntur ab Universitate Tolosana, Censuras tam Lovaniensem quam Duacensem à Romano Pontifice fuisse recisas, falsissimum esse testata est Facultas Theologica Duacensis in Decreto anni 1648. de quo suprà.

§. 5.

An Molinistæ rectè accusent Lovanienses, quod in quibusdam punctis recedant à doctrina Majorum & Thomistarum in præsenti Controversia?

Lovaniensibus objiciunt Molinæ Discipuli, quod gratiam sufficientem, quam D Thomæ schola propugnat, admittere renuant, atqui hoc est capitale Thomistarum dogma, quo mediante sese facile eximunt à Censura quinque Propositionum, ergò

RESPONDEO

" Ut omnis æquivocatio (quæ semper, sed in hac potissimum materia & causa confusionem ,, parit) penitus auferatur, inquit Lemos lib.4. part.2 tract. 3. cap. 1. num 2. Variè accipi ,, solet auxilium sufficiens. Theologi enim, cum quibus disputamus (Molinistæ) auxilium ,, sufficiens illud appellant, quod ut venit à Deo sufficientiam tribuit, & possibilitatem ad ,, bene operandum præter quod ex parte Dei nullum aliud est necessarium, ut homo de facto ,, convertatur, pièque operetur. Ita quod illo posito, quando homo vult illo bene uti, illud ,, reddit efficax, & de facto convertitur; quando autem non vult, reddit inefficax, & non ,, convertitur. Hoc igitur sic explicatum nominant ii auctores auxilium sufficiens, quoties ,, in libris suis de auxilio sufficienti sermonem instituunt, nec aliquod aliud auxilium sufficiens recipiunt Quod tamen non esse verum auxilium sufficiens, quod à Theologis recipitur & usurpatur, sed esse illud, quod contra veram Christi D. gratiam Julianus, Cassianus, Faustus & alii Massilienses introduxerunt, ut posse tantum supernaturale ex Deo ,, admitterent, ipsum verò operari non Deo, sed homini adscriberent, jam in superioribus ,, dictum est sufficienter, & in toto processu dicendo tum efficaciter magis semper ostendetur. ,, Hac igitur acceptione auxilii sufficientis omnium primò de medio sublata (nec enim aliam ,, nos magis impugnamus) ad alias divertamus.

,, Solet secundo à gravissimis Doctoribus aliquando vocari auxilium sufficiens, præter ,, quod ex parte Dei nullum aliud requiritur, ut de facto homo convertatur, verùmtamen tale ,, est, quod ut venit à Deo, & ex vi illius semper homo de facto per illud convertitur & piè ,, operatur, per quod opponitur primæ nunc relatæ sententiæ, quæ solum vult auxilium ut ,, à Deo venit, dare sufficientiam & possibilitatem, ita quod ejus efficacia & inefficacia ,, sit ab effectu, id est, à cooperatione arbitrii. Cæterum hæc secunda sententia totum contrarium statuit, illud vocando auxilium sufficiens, quod ex virtute sua, ut à Deo venit, ,, habet efficaciam, quâ de facto Deus hominem ad se trahit.,, Hanc acceptionem etiam D. Th. fuisse probatam demonstrat ibidem variis testimoniis. Tum addit num.10. " Juxta hanc

,, ptionem Doctores Lovanienses & Duacenses in suis doctissimis Censuris, quas de hac ma-
,, teria tradiderunt, de quibus non semel in his nostris operibus mentio facta est, loquuntur
,, de auxilio sufficienti, cum dicunt; auxilium sufficiens esse illud, quod sine ullo alio
,, conversionem efficit; loquuntur enim de auxilio completo in ratione principii ad operan-
,, dum, & non impedito.,, Nec rationes omisit ob quas Lovanienses libentius ita loquan-
tur, quam eo modo, quem passim Thomistæ usurpant. " Aliqui ex Discipulis D. Thom.
,, in ista materia satis periti, inquit Cap. 2. arbitrantur minùs congruè auxilium illud, quod
,, dividitur contra efficax, vocari sufficiens, sed appellandum vel auxilium generale in or-
,, dine gratiæ, vel communem vocationem; vel auxilium sine quo non potest homo operari
,, salutis opera; & tum quo bene operari potest si vult. Fundamentum illorum est, quia
,, istæ voces nunc relatæ & antiquiores sunt, & à SS. Patribus traditæ, & quæ multò me-
,, lius & sine inconvenienti auxilium illud contra efficax exponunt, quàm vox sufficiens illi
,, auxilio applicata, quæ suas patitur difficultates. Cum potissimè S. Thomas auxilium
,, sufficiens accipiat pro efficaci. Sentiunt igitur auctores non dici illud auxilium compe-
,, tenter sufficiens, nec absolutè & simpliciter sic esse nominandum. En Lovaniensium de
gratia sufficiente sententiam à Thomistarum Principe clarissimè expositam. Videamus ergo
tantumne sit chaos inter Lovanienses & Thomistas, quale imperitis persuadere nituntur
Molinistæ. Sane meram esse de nomine quæstionem agnoscit ipse Lemos num. 15. & adeo
non abhorret à Lovaniensium phrasi, ut apertè dicat quod nisi ita communiter reciperetur
à Thomistis divisio auxilii in efficax & sufficiens, sibi valdè placeret Lovaniensium vocibus
uti propter rationes relatas.

Quod ad rem ipsam attinet, certum est inter Thomistas & Lovanienses nullam esse discor-
diam. Quid enim est à parte rei gratia sufficiens Thomistarum? Hanc quæstionem decidit
Alvarez disp. 76. num. 5. "Gratia excitans, inquit, ut complectitur non solum illumi-
,, nationem externam & internam intellectûs, sed etiam motionem supernaturalem recep-
,, tam in voluntate idem est realiter quod gratia sufficiens, ita ut omnis gratia prædicto modo
,, excitans sit gratia sufficiens comparatione effectûs ad quem excitat; ut si excitet ad cre-
,, dendum, erit gratia sufficiens comparatione actûs fidei, & si excitet ad diligendum Deum
,, super omnia, erit gratia sufficiens respectu actûs dilectionis Dei.,, Rectè proinde hinc
intulit idem auctor disp. 71. num. 11. quòd " si de re ipsa loquamur, nullus Catholicus
,, potest dubitare de illa divisione (gratiæ in sufficientem & efficacem) cum gratia sufficiens
,, sit eadem cum excitante, & gratia efficax ab adjuvante realiter non distinguatur. Constat
,, autem partitionem gratiæ in excitantem & adjuvantem haberi ex sacris Litteris & Conci-
,, liis, præsertim ex Trid. & SS. Patribus: ergo quantum ad rem ipsam non potest rejici
,, divisio gratiæ in sufficientem & efficacem. Scire nunc velim, qua ratione per hanc suffi-
cientem gratiam eximere se possint Thomistæ à Censura secundæ propositionis ab Innoc. X.
proscriptæ: "Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur", si eam nuper rectè
quidam Molinista exposuit Thesi 4. dum dixit: "Illius propositionis sensum hunc in Auctore
,, (Jansenio) reperio; in statu naturæ lapsæ nulla datur gratia, quæ non sit efficax, quæ ob
,, voluntatis humanæ pervicaciam non sortiatur effectum illum, ad quem efficiendum à Deo
,, datur. Si ille est propositionis damnatæ sensus, damnata est doctrina Thomistica; cui nul-
las ferre poterit suppetias divisio gratiæ in sufficientem & efficacem, cum Thomistarum
Princeps & delitiæ apertè tradat lib. ante citati cap. 7. num. 103. § Circa. Communem esse
,, veramque Thomistarum sententiam, quod omne auxilium sufficiens comparatione unius
,, actûs semper est efficax ratione alterius, ad quem efficiendum ex absoluto & efficaci De-
,, creto voluntatis divinæ ordinatur. Et num. 105. Quod homo habens auxilium sufficiens
,, ad credendum vel conterendum semper cum effectu habeat prædictos imperfectos actus,
,, manifestum est, quia auxilium sufficiens est gratia excitans tum ex parte intellectûs tum
,, voluntatis; sed posità excitatione tam in intellectu quàm voluntate, semper cum effectu
,, homo habet illos indeliberatos actus, quibus anima excitatur.,, Cessabunt controversiæ,
si huic doctrinæ voluerint Molinistæ subscribere; nos enim illam credimus Augustino con-
formem.

§. 6.

§. 6.

An falicius nobis objiciant, quod recedamus à doctrina Majorum circa libertatem Amoris beatifici?

HAnc quæstionem vix leviter attigerunt Majores nostri in justificatione Censuræ p. 188 n. 132. & sequentibus; neque admodum illa pertinet ad præsentem controversiam, scimus enim gratiam per se efficacem posse ab iis propugnari qui negant libertatem amoris beatifici: scimus etiam nullâ censurâ doctrinam Scoti Scotistarumque (qui apertè propugnant libertatem amoris beatifici, ut alii veteres tam Scholastici quam Patres non pauci) hactenus fuisse notatam. Quod ad me attinet, non video satis probari doctrinam de libertate amoris beatifici Majorum nostrorum placitis repugnare. Docent illi quidem "amorem Beatorum erga Deum non esse ex
„ nuda suppositione efficacis Dei operationis necessarium, sed ex eo, quod humanæ volun-
„ tatis sic immutavit Deus statum, eamque sic penitus hâc affectione imbuit atque firmavit,
„ ut quasi in naturalem conversa motum videatur „ Verum habent illa explicationem facilem, si veterum Scholasticorum, ac in primis S. Bonaventuræ phrases expendamus, qui in 2. dist. 25. ita habet; "Liberum arbitrium dupliciter potest considerari; aut secundùm
„ quod liberum, aut secundùm quod deliberans; si loquamur de ipso secundùm quod libe-
„ rum, sic concedo quod potest esse non solum respectu contingentis, sed etiam necessarii,
„ sicut patet in Deo, & in Christo, & in Angelis & in hominibus beatis. Cum enim du-
„ plex sit necessitas, videlicet coactionis & immutabilitatis, necessitas coactionis repugnat
„ libertati arbitrii, non autem necessitas immutabilitatis, eo quod arbitrium dicitur liberum,
„ non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum, sed quia omne quod vult, appetit
„ ad suiipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud, & ideò in actu volendi
„ seipsum movet & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter
„ ordinetur ad istud. Hìc clarè D. Bonaventura duo distinguit, naturam scilicet liberi, & naturam arbitrii; Ad arbitrium spectat propriè partibus auditis deliberare, ideoque in solis contingentibus reperiri potest propriè ratio arbitrii; sed si spectetur natura liberi, *esse potest*, inquit D. Bonaventura, *etiam respectu necessarii*. Rectè ergo intelligi possunt Majores nostri in loco citato libertatem arbitrii non præcise secundùm essentiam libertatis spectasse, sed secundùm quod illa reperiebatur in homine lapso, & hoc unum contendisse, libertatem indifferentiæ & arbitrii in eo reperiri, non obstante necessitate gratiæ per se efficacis, quod & nos libenter agnoscimus Cæterum quæ fuerit veterum de libertate Amoris Beatifici sententia perspicuè videtur testari Thomas Braduardinus Archiepiscopus Cantuariensis qui Doctor profundus vulgò meruit appellari, apud quem hæc lego lib. 2. cap. 2. in fine; "Forsitan
„ quæretur, numquid de essentia liberi arbitrii sit naturaliter libertas seu possibilitas contra-
„ dictionis, & hoc respectu cujuslibet actûs sui? Hoc enim videtur ex significato nominis
„ importari. Oppositum tamen est certum de libero arbitrio Dei, quo diligit se, quo quæ-
„ libet Personarum Divinarum diligit quamlibet aliam & seipsam.... Ulterius quæri potest,
„ nunquid liberum arbitrium, quod de se naturaliter est contradictionis semper liberè secun-
„ dùm contradictionem possit in oppositum cujuslibet actûs sui, hoc enim videtur in signi-
„ ficato nominis contineri. Oportet tamen distinguere tempora, & liberi arbitrii qualitates:
„ pro tempore namque & qualitate beatitudinis confirmatæ non potest, sicut ratio beatitu-
„ dinis confirmatæ demonstrat, & omnes Doctores Catholici unanimiter contestantur.

§. 7.

An Lovaniensibus rectè objiciant Molinistæ Censuras Pontificias?

AGnoscit Facultas Theologica Lovaniensis gratiæ excitanti (dic sufficientem Thomisticè si lubet) sæpissimè resisti, gratiam insuper per se efficacem sic defendit, ut resistendi potentiam non excludat. Sanam hanc esse doctrinam ipse testatur Annatus his verbis; *Gratiæ efficacis doctrina, quæ resistendi potentiam non excludit, orthodoxa est, ex Conciliis petita, à Thomistis, &*

 Addo ego, validissimè à Lovaniensibus propugnata, quorum hæc est expressa doctrina pag. 186. justif. Censuræ n. 131. " Gratia voluntatem non determinat per " modum naturæ; sed per modum electionis operans in nobis velle, salvo eo volendi modo, " in quo summa inest nolendi potestas. Nihil ergò movemur quibuscumque æmulorum nostrorum querelis, dum illo etiam judice absolvimur, quem & Molinæ addictissimum & Jansenio præ cæteris fuisse constat infestum. Acquiescere hic deberent Molinistæ, nec inutiles suscitare querelas, dum apertè vident doctrinam de efficacia gratiæ ab hac Facultate tradi, quam & Thomistæ laudant probantque, & ab omni Censura immunem pronuntiat Annatus. Instant tamen ac perpetuò urgent, ut hanc doctrinam nostram secernamus à damnata doctrina Jansenii; quasi ad hanc Facultatem pertineret litem dirimere, de qua nec ipsi inter se possunt Adversarii nostri convenire; dum enim singulorum expositiones circa sensus damnatos expendimus, eos inter se pugnare clarissimè comperimus. Concedunt Patres Societatis Lovanienses, doctrinam Thomistarum constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. non esse damnatam, doctrinam de gratia per se efficaci esse orthodoxam; verùm quod unâ manu largiuntur, aliâ rapiunt, dum hanc propositionem damnatam, " Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur", sic exponunt, " In statu naturæ " lapsæ nulla datur gratia, quæ non sit efficax, quæ ob voluntatis humanæ pervicaciam " non sortiatur effectum illum, ad quem efficiendum à Deo datur". Vide dicta §. 5. versus finem. Thomistam vellem profectò, qui hanc illorum expositionem probet. Alios scio non defuisse qui Lovanii hanc assertionem illi commentatio omninò conformem propugnarunt anno 1679. 28. & 29. Julii: "Quisquis gratiam efficacem, ita necessariam existimas, ut sine ea " opus bonum fieri aut tentatio superari non possit, agnosce te eum eodem (Jansenio) impiè, " blasphemè, & hæreticè sentire". Thesi 26. Nonnulli Jansenium accusant, quod omnem gratiam merè sufficientem repudiarit. alii quod delectationem victricem propugnaverit; alii hoc propriè volunt in illo fuisse damnatum quod concedat ita necessarium esse consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ, quamdiu illa inhæret, quomodo necessarius est amor beatificus, quamdiu durat visio. Alii quod docuerit voluntatem divinâ gratiâ prædeterminatam carere proximâ ad dissentiendum potentiâ. Alii quod distinctionem sensûs compositi & divisi sic interpretetur, ut sensus sit, voluntatem à Deo motam posse dissentire, quando illa motio abierit, & advenerit alia. Sunt denique & alii, qui sensum à Jansenio non formaliter sed interpretativè intentum velint esse damnatum. Quid inter sensus tam varios statuere poterunt Lovanienses! Quâ veri specie illis objicitur, quod Pontificiis constitutionibus illudant, si dicant à variis varios assignari sensus damnatarum propositionum, ideoque difficilius statui posse, quid præcisè damnatum sit?

Exultavimus quidem in Domino, dum vidimus PP. Societatis Lovanii constanter docentes, gratiam per se efficacem non esse damnatam; illa enim, illa est Helena, seu potius fructus pretiosissimi illius depositi, quod Hierosolymis Helena reperit, pro quâ hæc Facultas tot annis invictè certavit. Eorum laudavimus industriam, quâ viderunt, quod tot præstantissimorum virorum & ordinum justissima indignatio declinanda esset, sed dolendum, tam salubre consilium, quod & olim Annato placuit, non placuisse Societatis Patribus qui Romæ sedent ad clavum, eorumque Collegis qui in Hispania versantur apud Catholicam suam Majestatem. Satis constat, qualiter institerint illi, ut opera Lemos proscriberentur, illam imprimis ob causam, quod doctrinam continerent constitutionibus Innocentii X. & Alex. VII. contrariam. Scire velim, quomodo hoc contendere possint Molinistæ, si negent gratiam per se efficacem hac constitutione esse damnatam? Quid Lemos cum delectatione victrici? Quid cum necessitate libertatis amoris beatifici? Quid cum illa interpretatione sensûs compositi & divisi? Nonne Thomistæ omnes Thomam Lemos venerantur ut Scholæ suæ delicias & immortale decus? Quid ergò profuit constitutiones ante citatas illi opponere, si neque per illam doctrina Thomistica, neque gratia per se efficax damnata est? Videri fortè possent hæc excidisse causæ momentum non satis expendentibus, neque id dicturos fuisse prudentes viros, si notassent, quæ indè tempestas sibi immineret, dum præstantissimorum Ordinum in se indignationem provocabant. Verùm adeò præstantissimorum ordinum non timuere querelas,

las, ut illas magis excitârint porrecto Majestati suæ Catholicæ memoriali, in quo clarissimè ac nominatim Jansenismi labem affricant toti Religioni Præmonstratensium, item S. Augustini, S. Dominici, Cappucinorum, Carmelitarum Discalceatorum, Clero sæculari, Clericis Congregationis Oratorii &c. Quid nì ergò Schola Lovaniensis coram toto orbe dicere possit:

Cernite cum quibus Molinistarum Censuras sustineam. Cernite cum quibus mihi sit causa communis. Cernite quam sit Molinistis periculosum Jansenismi crimen objicere talibus, & quam mihi gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus.

Tradunt præstantissimi illi ordines doctrinam à majoribus suis acceptam, coram sanctitate sua tam sæpè Romæ propugnatam, solemnibus Comitiorum generalium & Provincialium Decretis doceri jussam; & erit, qui credere poterit doctrinam tantâ auctoritate munitam Censuris Pontificiis fuisse confixam? Certè persuaderi non potuit Nicolao Oliva priori Generali Augustinianorum qui anno 1677. hoc edidit Decretum: " Nos de Consilio " RR. PP. qui nobis assistunt, decernimus & ordinamus, quod Professores nostri tam " Theologiæ quam Philosophię, tam Domestici in nostris Gymnasiis quam publici in Aca- " demiis, teneantur sequi, & in omnibus tueri tutissima & inconcussa dogmata SS. Parentis " nostri Augustini, signanter in materia de gratia primi hominis & Angelorum, in qua à " Deo creati sunt recti ac per hoc bonæ voluntatis. De divina post lapsum prædestinatione " in Christo Jesu non tantum ad gratiam, sed etiam ad gloriam independenter à prævisione " meritorum nostrorum prorsus gratuita, utpote quæ fons sit, origo & causa omnium in " nobis meritorum, & tandem de gratia per se efficaci, quâ Deus in nobis operatur non " tantùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates ab initio nostrę conversionis usque " ad perseverantię donum juxta illud Apostoli gratię: Deus est qui operatur in nobis velle " & perficere pro bona voluntate. In cęteris verò controversiis &c.,, Quis hic reperiri poterit Baius, vel Bannez, aut alius qui odio in Societatem percitus Augustinianorum Generali inspirârit consilium hoc edendi Decretum, ex quo luculentè pateret orthodoxam esse doctrinam de gratia per se efficaci? si non occurrit, suggeram ego, quod illo anno Romam ab hac Facultate deputatus sit P. Christianus Lupus. Aliorum erit conjicere quas ille partes in hoc condendo Decreto habuerit. Ejusdem quoque Augustini de gratia doctrinam ab anno 1621. sibi Pręmonstratenses desponsarunt Decreto speciali. Carmelitarum Discalceatorum & Dominicanorum tam est aperta tam sępè declarata doctrina, tanto zelo contra Molinam vindicata, ut Censuram effugere nequeant, si Lemos, si gratia per se efficax censuram mereantur. Hanc etiam cum illis subibit Schola Lovaniensis, si Sedes Apostolica gratiam per se efficacem eliminandam esse judicaverit. Quod licet aliquando fieri posse desperent Molinistę Lovanienses, non desperant exteri, dum tam apertum illi bellum indicunt in celeberrimis duobus orbis theatris, scilicet coram sua Sanctitate & sua Catholica Majestate. Speramus interim quod insultare nobis desinent Lovanienses Annato magis addicti, cum adverterint quam variè sensum Jansenii interpretentur Viri è Societate Primarii; nosque eam tantùm tueamur doctrinam quam ipse Annatus, saltem jam senior factus, sanam censuit & orthodoxam. Jam pridem notavimus quod quidam illis Romanorum Pontificum constitutionibus pro nutu & arbitrio suo abutantur nunc ut gratiam per se efficacem eliminent; nunc ut Molinam canonizent, & exosos reddant imperitis omnes qui illorum conatibus intrepidè obsistunt. Brevissimè cessarent contentiones omnes, si adverterent quam inutile imò & periculosum sit libertimè accusare de hęresi viros integerrimos, & incessanter movere quęstionem circa illam determinationem sensûs ab auctore intenti, de quo nec ipsi inter se nec cum Thomistis conveniunt, nec facilè convenire posse videntur, donec superior accedat auctoritas. Semper maluit Facultas Lovaniensis quęstionem hanc ob studium partium intricatissimam referre ad Apostolicam Sedem, quam in hac interminabili controversia litigare cum privatis quibusdam; sollicitè interim cavens, ne vel verbulo impingeret in constitutiones sępè memoratas, ac contenta Majorum suorum propugnare doctrinam.

An doctrina Lessii de Gratia & Prædestinatione sit canonizata per epistolam S. Francisci Salesii ad Lessium?

Testatur Cardinalis Bellarminus de grat. & libero arb. lib. 2. cap. 11. quod "Apostolica „ Sedes non tantùm semel sed etiam secundò & tertiò adversus Pelagianorum reliquias pro „ defensoribus Gratiæ & Prædestinationis sententiam tulit, ut jam hæc sententia„ (de prædestinatione gratuita „) non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici „ debeat.„

Idem opinionem Lessii de efficacia gratiæ procul ablegat tanquam omninò alienam à sententia Scripturarum Divinarum, & evertentem omninò fundamentum prædestinationis divinæ, quam S. Augustinus ex divinis Litteris solidissimè comprobavit. Videndus est Tannerus 1.2. disp. 6. quæst. 2. dub. 5. num. 77. qui etiam ibidem num. 86. apertè agnoscit eandem Lessii doctrinam peculiari Decreto Claudii Aquavivæ Societatis Præpositi Generalis anno 1613. fuisse improbatam.

Henriquez quoque Societatis Theologus lib. de fine hominis cap. 7. 2. doctrinam de Prædestinatione ex prævisis meritis graviter accusat ob eam inprimis rationem, quod constet illam esse planè contra Augustinum, quem Patres in Conciliis, & major meliorque pars Theologorum antiquorum, & torrens recentiorum sequitur in omni Academia orbis Christiani. Tum addit. Quidam doctus (scilicet Lessius) prædicavit in Academia Lovaniensi oppositum cum magno scandalo Academiæ. Et re ad Sixtum V. delatâ, sustinuit suæ temeritatis acrem reprehensionem.

Præ cæteris miratus est Thomas Lemos, quod disputationem suam Apologeticam de Gratia &c. fuisset ausus edere idem Lessius. Stuporis sui causam p. 1. tract. 6. cap. 2. pag. 129. refert hanc, quod antequam Apologia illa Lessii ederetur, Patavii prodiisset liber quidam illi adeo similis, ut eandem omninò contineret doctrinam. Ab ipso Patre Lemos liber ille examinatus est, ita mandante Magistro sacri Palatii. "Ex quo libro, inquit Lemos, viginti quatuor & plures assertiones, quæ à Pelagianorum errore minimè recedebant, deduxi & suis numeris præfixas Magistro sacri Palatii tradidi. Quo omnia an ita essent examinante, & SS. Clementi octavo id referente, prædictus liber ex Summi Pontificis expresso mandato totaliter fuit prohibitus, & ejus „ prohibitio Romæ publicata typisque excussa. Etiam post libri prohibitionem ejus auctor „ (Paulus Benius Eugubinus) Romam vocatus fuit, & graviter reprehensus. Similiter & accersiti „ sunt Romam illius libri examinatores atque reprehensi.„ Non potuit proinde causa ob quam liber ille fuerat proscriptus latere, illum præcipuè, cujus in libri examine principales partes fuerant. Addit tamen: "in tantum doctrina ista serpere contendebat, ut etiam post has duas li„ brorum (idiotæ Hispani & Pauli Benii de quo ante) prohibitiones, quarum prima sufficere „ deberet, ut amplius talis doctrina non divulgaretur, iterum tertius liber publicatus est & „ Antverpiæ excusus eandem omninò doctrinam continens cui titulus est *De gratia efficaci, &c. Disputatio Apologetica Leonardi Lessii.*

His expensis nemo tam nobis erit iniquus, ut censeat nobis transeundum in partes Lessii ob qualemcumque libro ejus datam approbationem per S. Salesii Epistolam, ac deserendas partes Apostolicæ Sedis, quæ, teste Bellarmino, non tantum semel sed etiam secundò & tertiò pro Prædestinatione gratuita sententiam tulit; ideoque nec oppositam impunè tradidit Lessius quantumvis à Salesio laudatus, sed à Sixto V. acrem suæ temeritatis passus est reprehensionem; quam & subierunt illi qui eandem omninò tradiderunt doctrinam, maximè Paulus Benius, cujus librum à Thoma Lemos examinatum, de mandato Summi Pontificis fuisse prohibitum supra ab ipso Lemos audivimus. Reprobatam, teste Tannero, ab ipso Societatis Generali doctrinam Lessii de gratia non est æquum tanto zelo vindicari.

Quibus olim laudibus extulerint Lessium ejus Collegæ utcumque perspicitur ex Facultatis Theologicæ Lovaniensis decreto anni 1613., in quo refertur sparsum fuisse per Hispaniam, Italiam & alias partes, quod Facultas Theologica Lovaniensis antiquam mutasset sententiam ob

energiam

energiam argumentorum, quæ P. Lessius tum vivæ vocis dictamine tum edito libro in medium attulerat. Quid enim mirum, si his auditis viri etiam pii & eruditi cespitârint?

Sanè & humanitati & viri sanctissimi honori longè magis fuisset consultum, si hæc epistola officiosa magis quàm doctrinalis, ut latuerat hactenus, latere pe existet; sicuti enim facile omnes intelligunt non esse canonizatum per eam librum de Iure & Iustitia, obstante Pontificio Decreto contra 65 propositiones, ita quoque intelligitur facillimè per illam non esse canonizatam Disputationem Apologeticam de Gratia; maximè cum apertè scribat, quod nonnisi obiter sparsimque oculos in illam injecerit. Deinde certum est magni momenti esse non posse, quæ transeunter tantùm attigit contra doctrinam, quam tantô molimine stabilivit Augustinus ejusque Discipuli. Dolendum est quod hanc alibi quæstionem non tractaverit operosius & ex professo vir mitissimus; disceremus enim tunc facilius, quomodo in hanc Lessii sententiam sit delapsus. Si tamen conjecturis in re tam obscura uti liceat, facilè crederem evenisse ex eo, quod cum diligentissimè legeret vitas & collationes Patrum, in Cassiani librum inciderit, nec suspicatus sit quidquam contineri à recta fide devium in illo, quem fortè Stephani Tucii Theologi è Societate (magnifaciebat autem quidquid ex Societate procedebat, ut scribit in eadem Epistola) notis illustratum vidit; maximè cum jam pridem non defuerint alii, qui Cassiani partes tuerentur, juxta illud Marianæ lib. 3. de Mort. cap. 8. "Quæ à Cassiano dicta sunt omnia de Gratia & li-" bero arbitrio, à Viris Eruditis nostra ætate defenduntur, quasi pietati consona, neque deflexa " à fidei regula sancta.,, Quidquid de illis sit, hanc Lessii de Prædestinatione post prævisa merita sententiam Augustino ejusque discipulis improbatam fuisse non dubitamus, neque multum dubitarunt Adversarii nostri ante motam cum hac Facultate controversiam; ac proinde antiquitas illius sententiæ, quam laudat S. Salesius, ab iis tantum peti potuit, quos Augustinus ejusque Discipuli oppugnârunt & superârunt. Salesium veneramur, sed magis Augustinum in illa præcipuè doctrinæ parte, quam se velle sequi Romana sæpiùs declaravit Ecclesia.

§. 9.

An rectè nobis objicere pergant Adversarii doctrinam veterum quorundam hujus Scholæ Magistrorum, Driedonis, Ruardi, & quorundam illis contemporaneorum?

DEflexisse nonnihil quosdam Doctores ac probabiliter opinando proposuisse varia contra articulos, quos pro indubitatis habet hodie hæc schola dictum est sæpius. Causam habes apud Estium in Oratione Duaci habita anno 1609. quod nempe " illo tempore & ab illis lege-,, retur liber de Ecclesiasticis dogmatibus, tanquam Augustini, qui est Presbyteri Massiliensis ,, & liber Fausti de libero arbitrio tanquam Catholici ac venerabilis Patris, quem tamen satis ,, constat fuisse hæreticum; cumque brevis ille in Epistolas Pauli commentarius, qui inter ,, opera Hieronymi extat, tanquam Hieronymi legeretur, cum sit ipsius Pelagii......... At nec ,, illud de Ruardo prætermittendum est, cum aliquando à magnis viris, & nominatim à Petro ,, Soto doctissimo ac sanctissimo Theologo, admonitum & reprehensum fuisse & coram & per lit-,, teras, quod in illis suis de gratia & prædestinatione opinionibus non rectè ambularet secun-,, dum veritatem Ecclesiasticæ & Apostolicæ doctrinæ Qui etiam aliquando à quodam Collega ,, admonitus de Fausto, quod non venerabilis, ut ille eum vocabat, sed damnabilis auctor esset, ,, eâ re sibi indicatâ vehementer obstupuit, ut ego ex illo ipso Collegâ accepi. Nam ab eo ,, Collegæ sui, iique præcipui dissentiebant.,,

Quod de Petro Soto refert Estius, confirmat Thomas Lemos lib. 1. tract. 5. pag. 124. his verbis: " Sapientissimus ille Magister F. Petrus Soto, Ord Prædicatorum, omnium suffragio ,, doctrinæ laude clarissimus, & famâ super æthera notus, certior redditus, quod nonnulli Facul-,, tatis Lovaniensis Doctores non rectè de prædestinatione, divinæ gratiæ auxiliis, ac libero ,, hominis arbitrio sentirent adversus antiquam & probatissimam S. P. Augustini doctrinam ,, communiter ab Ecclesia Catholica receptam, imminenti huic malo remedium adferre con-,, stituit, & ea de causa doctissimam quandam conscripsit Epistolam Ruardo Tappero Lovaniensi

,, Decano

„ Decano, in qua se valdè mirari significat, quod hujusmodi doctrinam ipse probaret ac sustine„ ret, imo & ab aliis sustineri ac defendi pateretur ac fineret, efficacissimis dein argumentis „ probans eam à Pelagianorum errore toties temporibus illis damnato, & anathematizato minimè discrepare.

Fontes periculosos vidimus, è quibus opinationes suas hauserunt Driedo & Ruardus, & tamen indignantur Adversarii nostri, quod ex illis dogmata nostra non hauriamus. Indignentur ergò & Collegis Ruardi, quorum præcipuos à Ruardo dissensisse testatur Est.us, nec unquam vel ejus temporis facultatem aut notabilem aliquam ejus partem Ruardi opinationes probavisse testatur justificatio Censuræ Lovaniensis pag. 272. cujus eo certius est testimonium, quod tunc in Facultate non deessent Doctores, qui cum Tappero supra viginti annos versati certissimè poterant referre sæpius auditas Tapperi Collegarumque ejus opiniones & dissensiones.

Si tamen inquirere lubet, cur tantopere olim Molinistæ doctrinam Tapperi deprædicarint, eruetur id facillimè ex justif. Censuræ Lovaniensis pag. 98. & sequentibus, in quibus referuntur auctores, quos tam in Apologia sua, quam prælectionibus ad confirmandam suam de prædestinatione doctrinam protulerunt. Quod de Ruardo jam diximus, videmus ibidem Patribus Societatis placere, nempe Faustum Rhegiensem Episcopum, Ruardi Magistrum, inter veteres Ecclesiæ Patres recenseri; naturale ergo fuit ut ejusdem Magistri (quamdiu ignorabant illum ab Ecclesia damnatum) discipuli mutuis se prosequerentur officiis; at longe alia est ratio, postquam Lovanienses luculente ostenderunt inter sanctos Ecclesiæ Patres non posse recenseri eum, quem "certum sit Pelagianæ hæreseos cum Massiliensibus fuisse reliquias, atque hoc nomine „ scripta ejus à Gelasio Pontifice rejecta fuisse, atque damnata à Petro Diacono Orientalis Ec„ clesiæ ad Sedem Apostolicam cum cæteris Legato, anathematizata à Fulgentio, Maxentio „ viro Dei, Alchimo Avito Viennensi Episcopo, Ioanne Antiocheno velut hæretica oppugnata, „ ab Isidoro Hispalensi Episcopo, & ab Adone Viennensi gravissimè notata & condemnata non „ absque Gennadii reprehensione, qui similia sentiens auctoris ejus libros approbârat.„ Fausto ergo Magistro tot censuris notato, in materiis de gratia præcipuè & prædestinatione deserendus est Ruardus Fausti discipulus; & quod olim de Sedulio nostri dixere Majores, pari ratione dicimus de Tappero: *necesse est (* Ruardum *) repulsæ hujus participem fieri, qui profunda Fausti calliditate circumventus, ut & alii plures ejus libri sibi verba & dogmata libro suo inferenda putavit.*

Hic pro coronide obiter & amicè quosdam monitos velim, ne deinceps hæreticorum, quos neque vidimus neque legimus, multò minus pro confirmanda nostra doctrina citavimus, dogmata quædam non hæretica nostris in speciem affinia coacervent, nobisque exprobrent, turpe esse à tam impuris fontibus nostram mutuare doctrinam; nam præterquam quod hoc habet omnis hæresis ut falsis vera permisceat tanquam lepra varios colores exhibens, cavere debent, ne illis objiciamus quod non tantùm ea docuerint, quæ tradiderunt quidam hæretici, sed etiam auctores hæreticos vel de hæresi suspectos ferè viginti citaverint in suis prælectionibus primi Molinæ vindices juxtà ea quæ tradunt nostri Majores in justif. pag. 107.

IMPERTINENS
Hæresis prædestinatiana est mera fabula.



FINIS.